Anthologia LATINA:

SIVE

Epigrammatum Poematúmque Latinorum Florilegium.

EX


Purioribus (præcipuè) Veterum monumentis quæ in Scholis non adeò teruntur desumptum.

In *Usum* SCHOLÆ *inclytæ Civitatis*

DUBLINII.

DUBLINII,
Typis Regiis, Et venum dantur apud JOSEPHUM WILDE.
MDC.LXXIV.







ERRATA insigniora.

Pag. 17. lin. 13. lege inerti. p. 21. l. 4. leg. periss p. 24. l. 8. leg. graculus. l. 15. leg. sacro. p. 27 l. 7. leg. Et misceret. ibid. l. 24. leg. Et quum. p. 28 l. 4. leg. Et si. pag. 29. l. 3. leg. prænomen. ibid. l. 22 leg. Medicum. p. 32. l. 27. l. aliquid. pag. 40. l. 9 leg. ocellis. p. 47. l. ult. p. 49. l. 2. leg. statera. ibid l. 7. leg. opima. ibid. l. 23 l. acies. ibid. l. 28. l. virgis. p. 64. l. 2. l. tragicos. pag. 65. l. 10. l. expertem. p. 70. l. 19. l. contrectata. p. 73. l. 23. l. censum pag. 75. 1. leg. spirare. p. 76. l. 18. mallem omnia p. 80. l. 9. leg. neglexerim. Punctorum lapsus, quo sunt, exigui videntur momenti.



ANTHOLOGIA LATINA.

I.

PETRONII.

INveniat quod quisq; velit: non omnibus unum est
Quod placet. Hic spinas colligit, ille rosas,

II.

Nil planè est, quod non mortalibus afferat usum
Rebus in adversis, quæ jacuere placent.

III.

Militis in Galeâ nidum fecere columbæ:
Apparet Marti quam sit amica venus.

IV.

CATULLI.

Si sapis iratus quicquid tibi dicit amicus,
In vento & rapidâ scribere oportet aquâ.

V.

Odi & amo: quare id faciam fortasse requiris.
Nescio: sed fieri sentio, & excrucior.

VI.

Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere:
Nec ſcire utrum ſis albus, an ater homo.

VII.

CLAUDIANI

Paupertas me ſæva domat, dirúſq; Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

VIII.

AUSONII.

De Leone a Valentiniano juniore interfecto
Quod Leo tam tenui patitur ſub arundine lethum,
Non vires ferri ſed ferientis agunt.

IX.

Elinguem quis te dicentis imagine pinxit?
Dic mihi, Ruſe; Taces? Nil tibi tam ſimile eſt

X.

Hæc Rufi tabula eſt, nil verius. Ipſe ubi Rufus?
In Cathedrâ. Quid agit? Hoc quod & in tabulâ

XI.

Errâſti attendens hæc ilia noſtra, juvence:
Lac manus artificis non dedit uberibus.

XII.

Paſce greges procul hinc: ne quæſo, bubulce Myronis
Æs veluti ſpirans cum bubus exagites.

XIII.

Hoc quod amare vocant miſce, aut diſſolve Cupido
Au

Aut neutrum flammis ure vel ure duos.

XIV.

Dodra ex dodrante eſt: Sic collige; jus, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba; novem.

XV.

Incipe, dimidium facti eſt coepiſſe: ſuperſit
Dimidium, rurſum hoc incipe & efficies.

XVI.

Daphnen & Nioben ſaltavit ſimius idem,
Ligneus ut Daphne, ſaxeus ut Niobe.

XVII.

De Narciſſo.

Quid non ex hujus forma pateretur amator,
Ipſe ſuam qui ſic deperit effigiem?

XVIII.

Epicuri Placitum.

Quod eſt beatum, morte & æternùm carens,
Nec ſibi parit negotium, nec alteri.

XIX.

Sanus piger febriente multò eſt nequior:
Potat duplum, dapeſq; triplices vorat.

XX.

XX.

De Amissâ Filiolâ.

Tres fuerant Charites, sed, dum mea Lesbia vixit,
Quatuor: ut periit tres numerantur item.

XXI.

Stella prius superis fulgebas Lucifer: at nunc
Extinctus, cassis lumine Vesper eris.

E Libello qui inscribitur Cato.

XXII.

Virtutem primam esse puta compescere Linguam:
Proximus ille deo qui scit ratione tacere.

XXIII.

Qui sibi non constat, pugnat contrarius in se:
Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

XXIV.

Rem tibi promissam certò promittere noli:
Rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur.

XXV.

Cum te quis laudet judex tuus esse memento:
Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli.

XXVI

Officium alterius multis laudare decebit:
Atq; alijs, cum tu bene feceris, ipse silcto.

XXVII.

Ne timeas illam, quæ vitæ est ultima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit perdit id ipsum.

XXVIII.

Quæ culpare soles ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

XXIX.

Corporis exigui noli contemnere vires ;
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

XXX.

Esto animo forti, cum sis damnatus iniquè.
Nemo diu gaudet qui judice vincit iniquo.

XXXI.

Litis præteritæ noli maledicta referre :
Post inimicitias, iram meminisse malorum est.

XXXII.

Neve palàm laudes, neu te culpaveris ipse :
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

XXXIII.

Insipiens esto cum tempus postulet, aut res :
Stultitiam simulare loco prudentia summa est,

XXXIV.

Successus noli indignos tu ferre molestè :
Indulget fortuna malis ut lædere possit,

XXXV.

Rebus in adversis animum submittere noli :
Spem retine ; spes una hominem nec morte relinquit.

XXXVI.

Quamprimum rapienda tibi est occasio prima :
Fronte capillatâ, pòst est occasio calva.

VXXVII.

Quod sequitur specta, quódq; imminet ante videto :
Illum imitare Deum qui partem spectat utramque.

XXXVIII.

Ne cures siquis tacito sermone loquatur :
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

XXXIX.

Vincere cum possis, interdum cede sodali :
Felice obsequio dulces vincuntur amici.

XL.

Fortior ut valeas jucundis utere parcè :
Pauca voluptati debentur plura saluti.

XLI.

Judicium populi caveas contempseris unus;
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.

XLII.

Judicis auxilium sub iniquâ lege rogato :
Ipsæ etiam leges cupiunt ut jure regantur.

XLIII.

Quod merito pateris non ægre ferre memento:
Cumq; reus tibi sis, ipsum te judice damna.

XLIV.

Cum sis incautus nec rem ratione gubernas :
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

XLV.

Omnia perspicito tacitus quæ quisq; loquatur :
Sermo hominum mores & celat & indicat idem,

XLVI.

Parcè laudato : nam quem tu sæpe probâris,
Una dies, qualis fuerit, monstrabit amicus.

XLVII.

Demissos animo ac tacitos vitare memento :
Qua flumen placidum est forsan latet altius unda.

XLVIII.

Thure Deum placa, vitulum sine crescat aratro :
Ne credas placare Deum dum cæde litatur.

XLIX.

Uxoris linguam, si frugi est ferre memento :
Namq; malum est nil velle pati, nec posse tacere.

L.

Utile consilium Dominus ne despice servi :
Nemo unquam tempsit sensus impune salubres.

L I.

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti :
Lædere qui potuit prodesse aliquando valebit.

L I I.

Suspectus caveas ne sis miser omnibus horis.
Nam timidis & suspectis aptissima mors est.

L I I I.

INTER *VIRGILII FRAGMENTA.*

Tarpeio quondam consedit culmine cornix :
Est bene non potuit dicere ; dixit erit.

L I V.

Nocte pluit totâ , redeunt spectacula mane :
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

L V.

PALADII: Epitaphium Virgilij.

Conditus hic ego sum , cujus modo rustica musa
Per sylvas, per rus, venit ad arma virûm.

L V I.

Subduxit morti vivax pictura Maronem ,
Et quem Parca tulit, reddit imago virum.

L V I I.

Tristia fata tui dum fles in Daphnide Flacci ,
Docte Maro, , fratrem diis immortalibus æquas.

LVIII.

PROPERTII de ÆNEIDE.

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graij :
Neſcio quid majus naſcitur Iliade.

LIX.

BUCHANANI.

Fruſtra ego te laudo, fruſtra me Zoile lædis.
Nemo mihi credit , Zoile, nemo tibi.

LX.

Ad cænam ſeſe dixit tuus affore vates.
Dixit, ſed vates dicere falſa ſolent.

LXI.

Omnia quod, Leonora, putant te vendere, falſum eſt
Nam faciem, tibi quæ cætera vendat, emis.

LXII.

Das inopi dives, ſed qualia reddere poſſit
Munera ; non hoc eſt dicere, Redde mihi :

LXVIII.

Sylvius hic ſitus eſt, gratis qui nil dedit unquam:
Mortuus & gratis quod legis iſta gemit.

LXIV.

AUSONII.

Fortuna nunquam ſiſtit in eodem ſtatu.
Semper movetur ; variat & mutat vices,
Et ſumma in imum vertit, ac verſa erigit.

AUSONII.

I.

NOstra ſimul variis certant epigrammata nugis
Stoicus has partes, has Epicurus habet.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum,
Ludat permiſſis ſobria muſa jocis.

II.

Trinacrii quondam currentem in littoris ora
Ante canes, leporem cæruleus rapuit.
At lepus. In me omnis terræ pelagíq; rapina eſt,
Forſitan & coeli, ſi canis aſtra tenet.

III.

Theſauro invento, qui limina mortis inibat
Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.
At qui quod terræ abdiderat non repperit aurum;
Quem laqueum invenit, nexuit & periit.

IV.

Antiſthenes Cynicus Philoſophus. Dialogus.

Inventor primus Cynices ego. Quæ ratio iſthæc?
Alcides multò dicitur eſſe prior.
Alcida quondam fueram doctore ſecundus:
Nunc ego ſum Cynices primus, & ille Deus.

V.

Diogenis Cynici Supellex.

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Namq; cavis manibus cernens potare bubulcum,
Cur Scyphe te, dixit, gesto supervacuum?

VI.

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus, quia cernere talem
Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

VII.

Myronis Bucula.

Unam Juvencam pastor forte amiserat,
Numerumq; jussus reddere,
Me defuisse conquerebatur: sequi
Quæ noluissem cæteras.

VIII.

Alcon Medicus.

Alcon hesterno signum Jovis attigit, ille
Quamvis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce, hodie jussus transferri ex æde vetustâ,
Effertur, quamvis sit Deus atq; lapis,

IX.

Ad uxorem.

Deformem quidam te dicunt, Crispa, at ego istud
Nescio: pulchra mihi es; judice me satis est.
Quinetiam cupio, junctus quia Zelus amori est,
Ut videare aliis foeda, decora mihi.

X.

Commoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitus resecuta querelis,
Ultima nunc etiam verba loquentis amat.

XI.

CLAUDIANI de Concha Serenæ.

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchæ divitis orbe fluat.
Namq; latex, doctæ qui laverit ora Serenæ,
Ultra Pegaseas numen habebit aquas.

XII.

De Theodoro & Hadriano

Mallius indulget somno noctesq; diesq;:
Insomnis Pharius sacra, prophana rapit.
Omnibus hoc, Italæ gentes, exposcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

XIII.

CATULLI.

Quid est Catulle quod moraris emori?
Sella in Curuli Struma Nonius ſedet:
Per conſulatum pejerat Vatinius.
Quid est Catulle quod moraris emori?

XIV.

Ad Furium.

Furi, villula noſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Favonî,
Nec ſævi Boreæ, aut Apeliotæ:
Verum ad millia quindecim & ducentos:
O ventum horribilem atq; Peſtilentem!

XV.

Virgilio tributum. De Priapo hortorum Deo.

Vere roſâ, autumno pomis, æſtate frequentor
  Spicis, una mihi eſt horrida peſtis hyems.
Nam frigus metuo, & vereor ne ligneus ignem
  Hâc Deus ignaris præbeat agricolis.

XVI.

De eodem: Incerti.

Credere quis posset? falcem quoq; (turpe fateri)
De digitis fures surripuêre meis.
Nec movet amissi tam me jactura, pudórque,
Quàm præbent justos numina nostra metus.

XVII.

In ejusdem Statuam horrendam.

Hic tibi, qui rostro crescentia lilia mersit,
Cæditur e tepidâ victima porcus harâ.
Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape,
Horti sit facias janua clausa tui.

XVIII.

OVIDIO tributum.

Cùm foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Testetur cunctis me non violâsse pudorem,
Ante virum sanguis, spiritus ante Deos.

XIX.

Q. CATULLI.

Constiteram exorientem auroram forte salutans,
Cùm subitò a lævâ Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestrâ,
Mortalis Visus pulchior esse deâ

XX.

Incerti authoris. de Narcisso.

Hic est ille suis nimiùm qui credidit undis,
Narcissus vero dignius amore puer.
Aspicis irriguæ *gaudentem margine* ripæ,
Ut per quas perijt, crescere possit aquas.

XXI.

Actij Sinceri.

Dum Venus armatum complectitur obvia Martem
Distrinxit *teneram* fibula adunca manum.
Sensit, & antè Jovem ridens ait æmula Pallas,
Bella iterum gessit cum Diomede soror.

XXII.

Alcinoi.

De numero vatum siquis seponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro *noster* erit.
Et si post primum Maro seponatur Honerum,
Qui primum *referat nemo* secundus erit.

XXIII.

Buchanani.

Ultimus Actæâ Codrus regnavit iu aulâ.
Rex Italo primusCæſar in orbe fuit:
Nempe imitatores invenit dira tyrannis:
Æmulus in patriam rarus amoris erit.

XXIV.

Picta tibi eſt facies, mendax eſt lingua, manúque
Æneüs annellus, vitrea gemma nitet.
Quis tibi vel verum credet, Leonora, loquenti,
Quando tui nunquam pars caret ulla dolo?

XXV.

Pauper eram juvenis, ſenio confectus inet
Sum locuples: heu! quam ſorte in utrâque miſer!
Quando frui poteram rebus, mihi copia deerat:
Copia nunc ſupereſt, fructus & uſus abeſt.

XXVI.

Alite non fauſtâ genti dum rurſus Iberæ
Reſtituis muſas, hic, Goveane, jaces.
Cura tui muſis fuerit ſi mutua, nulla
Jucolet Elyſium clarior umbra nemus.

XXVII.

Jncertorum, Epitaphium Formoſiſſimæ.

Injice, ſi pietas uſquam eſt ſuſpiria, & imple
Mecum hoſpes lachrymis marmoris hoc vacuum.
Nam formæ exemplum periit cùm obiit mea Lyde,
Quam petiere Dei, deperiere homines.

XVIII.

Aliud.

Si fructus proprio ſubdit de germine tellus,
Si reparat ſparſis debita ſeminibus.
Naſcentur tumulo hoc formæ, nova meſſis, honores
Et lepor, et ſuavis gramina nequitiæ.

XXIX.

Regiani de Baijs

Ante bonam Venerem gelidæ per litora Baiæ.
Illa natare lacus cum lampade juſſit Amorem:
Dum natat, algentes cecidit ſcintilla per undas:
Hinc vapor uſſit aquas, quicunque natavit amavit

XXX.

Incerti, Cebetis tabula.

Blanditur puero Luxus vultùque manuque:
Nolenti ſimilis retrahit ora puer.
Quem non commoveant quamvis de marmore fundi
Pæne preces luxus, pæne puer lachrymas?

XXXI.

Ænigma.

Fulmina ſub Jove ſunt: Neptuni fuſcina telum,
Enſe potens Mars eſt: haſta, Minerva, tua eſt.

Sutilibus Liber committit proelia thyrsis:
Fertur Apollineâ missa sagitta manu:
Herculis armata est invictâ dextera clavâ.
Hi sua cui debent numina & arma, quis est?

XXXII.

Ad Vertumnum.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo,
Cum capiant alti vix sua musta lacus.
Magnaque foecundis cum messibus area desit,
Jn Cereris crines una corona datur
Tu quoque, Dive minor, majorum exempla secutus,
Quamvis pauca damus, consule poma boni.

XXXIII.

Hic jacet exutis Dionysia flebilis annis;
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cujus in octavâ genius bene surgere messe
Coeperat, & dulces fingere nequitias.
Quod si longa tuæ mansissent tempora vitæ
Doctior in terris nulla puella foret

XXXIV.

Cornix & caries, vetusque bustum,
Foex, & putrida noxa seculorum,
Quæ forsan potuisset esse nutrix
Tithoni, Priamique, Nestorisque,
Quid si nunc roget ut puella fiat?
Si nummi satis hæc habet, puella est.

XXXV.

C. Julii Cæsaris.

Thrax puer astricto glacie dum ludit in Istro,
Pondere, concretas frigore, rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abscîdit tenerum lubrica testa caput.

Orba quod inventum Mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

XXXVI.

Ex Petronio Arbitro.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi qui Cynica traducunt tempora coena,
Nonnunquam nummis vendere verba solent.
Ergo judicium nihil est, nisi publica merces:
Atque eques in causa qui sedet, empta probat.

XXXVII.

Ales Phasiacis petita Cholchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non sunt faciles: at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis
Plebeium sapit. Ultimis ab oris
Attractus scarus, atq; arata Syrtis
Siquid naufragio dedit probatur.
Mullus jam gravis est. amica vincit
Uxorem: rosa cinnamum veretur.
Quicquid quæritur, optimum videtur.

XXXVIII.

Quod solum formæ decus est, cecidere capilli:
Vernantesq; comas tristis abegit hyems.
Nunc umbra nudata sua jam tempora moerent:
Areaq; attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura parens! quoe prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis.

XXXIX.

Infelix modo crinibus nitebas,
Phœbo pnlchrior & sorore Phœbi.
At nunc lævior ære, vel rotundo

Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis & times videntes.
Ut mortem citiùs venire credas
Scito jam capitis perijsse partem.

XL.

Naufragus ejectâ nudus rate, quærit eodem
Percussum telo, cui sua fata legat.
Grandine qui segetes & totum perdidit annum,
In simili deflet tristia fata sinu.
Funera conciliant miseros, orbiq; parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoq; confusis feriemus sidera verbis,
Et fáma est junctas fortius ire preces.

XLI.

Omnia quæ miseras possunt finire querelas,
In promptu voluit candidus esse deus.
Vile olus, & duris hærentia mora rubetis,
Pugnantis stomachi composuêre famem.
Flumine vicino stultus sitit, & riget Euro,
Cum calidus tepido consonat igne rogus.
Quod satiare potest, dives natura ministrat:
Quod docet infrænis gloria, fine caret.

LXII.

Si Phoebi soror es, mando tibi Delia causam,
Scilicet ut fratri, quæ peto, verba feras.
Marmore Sicanio struxi tibi Delphice templum,
Et levibus calamis candida verba dedi.
Nunc si nos audis, atque es divinus Apollo,
Dic mihi, qui nummos non habet, unde petat?

XLIII.

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et coeli summas advocet auriculas:

Ni-

Ni tamen & ferro ſuccifus, abibit ab urbe!
    Exemptus populo, & ſabbata nulla colet.
Una eſt nobilitas argumentumqúe pudoris
    Jngenui, timidas non habuiſſe manus.

XLIIII.

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra deûm, nec ab æthere nunima mittunt
Sed ſibi quiſque facit: nam cum proſtrata ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quicquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flammis miſerandas ſævit in urbes,
Tela videt; verſaſque acies, et funera regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos.
Qui cauſas orare ſolent, legeſque forúmque
Et pavidi cernunt incluſum corde tribunal.
Condit avarus opes, defoſſúmque invenit aurum
Venator ſaltus canibus quatit. Eripit undis
Aut premit everſam periturus navita puppim:
Et canis in ſomnis leporis veſtigia latrat.
Jn noctis ſpatium miſerorum vulnera durant.

XLV.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia captat
    Tantalus infelix, quem ſua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
    Qui timet, & ſicco concoquit ore famem.

XLVI.

Quiſquis habet nummos ſecurâ naviget aurâ,
    Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danäen, ipſumque licebit
    Acriſium jubeat credere, quod Danäen.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes
    Et peragat cauſas, ſitque Catone prior.

Multa loquor, quidvis nummis præsentibus opta
 Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

XLVII.

Fallunt nos oculi, vagíque sensus
Oppressâ ratione mentiuntur.
Nam turris, prope quæ quadrata surgit,
Detritis procul angulis rotatur.
Hybleüm refugit satur liquorem,
Et naris casiam frequenter odit.
Hoc illo magis aut minus placere
Non posset, nisi lite destinatâ,
Pugnarent dubio tenore sensus.

XLVIII.

Pentadij.

Non est, fallimini, hæc beata, non est,
Quam vos creditis esse vita, Amici,
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo jacere lecto,
Aut plumâ latus abdidisse molli,
Aut auro bibere aut cubare cocco, aut
Regales dapibus gravare mensas,
Et quidquid Libyco secatur arvo
Non unâ positum tenere cellâ:
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi favore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.
Hoc quisquis Poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco superbus.

XLIX.

Malus Sterilis

Quid frustra quereris colone mecum
Quod quondam bene fructuosa malus

Aut-

Autumnis ſterilis duobus adſtem ?
Non me prægravat, ut putas ſenectus :
Nec ſum grandine verberata durâ :
Nec gemmas modo germine exeuntes
Seri frigoris uſtulavit aura :
Nec venti, pluviæve, ſiccitáſq;
Quod de ſe quererer, malum dederunt :
Non ſturnus mihi, gracculúſve raptor,
Aut cornix anus, aut aquoſus anſer,
Aut corvus nocuit ſiticuloſus :
Sed quod carmina peſſimi poëtæ
Ramis ſuſtineo laborioſis.

L.

Incesti.

Semicapri quicunq; ſubis ſacraria Fauni,
   Hæc lege Romanâ verba notata manu.
Herſilus hîc jaceo, mecum Marulla quieſcit,
   Quæ ſoror, & genitrix, & mihi ſponſa fuit.
Vera negas, frontemq; trahens ænigmata clamas :
   Sunt Pythio (infandum !) vera magis tripode.
Me pater ex natâ genuit : mihi jungitur illa :
   Sic ſoror, & conjux, ſic fuit illa parens.
Tu verituſq; Deos, genus humanumq; viator,
   Nequa ſoror ſic ſit nupta parenſve, roga.

L I.

Eſſe tibi videor demens, quòd carmina nolim
   Scribere Patricio digna ſupercilio.
Quòd Telamoniadem non æquo judice victum
   Prætercam, & pugnas, Penteſilea, tuas.
Quod non aut magni ſcribam primordia mundi,
   Aut Pelopis currus, aut Diomedis equos.
Aut ut Acchillëis infelix Troja lacertis

Quaſ-

Quassata, Hectoreo vulnere conciderit.
Vos mare tentetis: vos detis lintea ventis:
Me vehat in tutos parva carina lacus.

LII.

DEORUM Peculiaria. AD PRIAPUM.

Dodona est tibi Jupiter sacrata;
Iunoni Samos, & Mycena Diti;
Undæ Tænaros æquorisq; regi.
Pallas Cecropias tuetur arces;
Delphos Pythius orbis umbilicum;
Creten Delia, Cynthiosq; colles;
Faunus Mænalon, Arcadumq; sylvas.
Est tutela Rhodos beata solis;
Gades Herculis, humidúmq; Tibur.
Cyllene celeri Deo nivosa,
Tardo gratior æstuosa Lemnos.
Ætneæ Cererem nurus frequentant;
Raptam Cyzicos ostreosa Divam;
Formosam Venerem Gnidos Paphosque.
Mortales tibi Lampsacum dicarunt.

LIII.

Duodecim Herculis labores.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram.
Mox Erymanthæum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threïciam sexto spoliavit Amazona balteo.
Septima in Augiæ stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeïs victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam;

Undecimum mala Hesperidum distracta triumphum.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Fatendum est plures fuisse Hercules; omnium labores uni Jovis ex Alcmenâ filio adscriptos: hos autem nec eosdem semper statuunt poëtæ, nec eorundem unum servant ordinem. Virgilio tribuitur hoc epigramma uti & aliud ejusdem argumenti, quod prætermisimus. Verùm, ut ejus sint, certè de ordine nec ipse sibi constat.

L I V.

Cornelii Galli de Æneide.

Temporibus lætis tristamur, maxime Cæsar
Hoc uno amisso, quem gemo, Virgilio.
Sed vetuit relegi, si tu patière, libellos,
Jn quibus Æneam condidit ore sacro.
Roma rogat, precibúsque etiam tibi supplicat orbis
Ne pereant flammis tot monumenta ducum.
Ergo iterum Trojam, sed major flamma cremabit.
Fac laudes Italum, fac tua gesta legi;
Æneamque suum fac major nuncius ornet:
Plus fatis possunt Cæsaris ora Dei.

L V.

Sulpitij de eodem

Jusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quæ cecinêre ducem.
Tucca vetat, Varùsque simul: tu, maxime Cæsar
Non sinis, atque *tuæ* consulis Historiæ.
Infelix gemino cecidit propè Pergamon igni:
Et pæne est alio Troja cremata rogo.

EX AUSONIO.

I.

Hortatio ad modestiam.

Fama est fictilibus cænâsse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerâsse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
Fit misceret opes pauperiemque simul:
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum,
Sicanæ figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe: quicunq; repente
Dives ab exili progrediêre loco.

I I.

In adulteram veneficam.

Toxica Zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum:
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc siquis, faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis quâ via nota cibis.
Quam pia cura Deûm! prodest crudelior uxor,
Est quum fata volunt, bina venena juvant.

I I I.

Echo ad Pictorem.

Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Jgnotamque oculis sollicitare Deam?
Aëris & linguæ sum filia; mater inanis
Indicij: vocem quæ sine mente gero.

Extremos, pereunte modos à fine reducens,
  Ludificata ſequor verba aliena meis.
Auribus in veſtris habito penetrabilis Echo :
  Eſt ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.

IV.

In ſimulachrum Occaſionis & Pœnitentiæ.

Cujus opus ? Phidiæ, qui ſignum Palladis, ejus
  Quiq; Jovem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea quæ rara, & paucis *Occaſio* nota.
  Quid rotulæ inſiſtis ? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes ? Volucris ſum, Mercurius quæ
  Fortunare ſolet, tardo ego, quum volui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed heus tu
  Occipiti calvo es. ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes ? Dicat tibi. Dic, rogo, quæ ſis?
  Sum Dea cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea quæ facti, non factiq; exigo pænas,
  Nempè ut peniteat, ſic metanœa vocor.
Tu modò dic quid agat tecum ? Si quando volavi
  Hæc manet, hanc retinent quos ego preterij.
Tu quoq; dum rogitas, dum percontando moraris,
  Elapſam dices me tibi de manibus.

V.

De Thraſybulo Lacedoemonio.

Excipis adverſo quod pectore vulnera ſeptem:
  Arma ſupervcheris quod Thraſybule tua ;
Non dolor hic patris, Pitanæ ſed gloria major:
  Rarum tam pulchro funere poſſe frui.
Quem poſtquam mæſto ſocij poſuêre feretro ,
  Talia magnanimus edidit orſa pater.
Flete alios, natus lachrymis non indiget ullis,
  Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

VI.

De nomine cujusdam sculpto in marmore sed mutilato.

Pronomen notet hæc, seu mutila litera nomen?
Dissiluit saxi fragmine læsus apex.
Nec quisquam Marcus seu Marius, anne Metellus
Hic jaceat, certis noverit indicijs.
Truncatis convulsa jacent elementa figuris:
Omnia confusis interiêre notis.
Miremur perijsse homines; monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis nominibusq; venit.

VII.

De Achilla, qui dissecuit calvariam.

Abjecti in trivijs inhumati glabra jacebat
Testa hominis, nudum jam cute calvitium.
Fleverunt alji; fletu non motus Achillas
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo icto redijt lapis ultor ab osse,
Actorisq; sui frontem oculosq; petit.
Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
Actorem ut feriant tela retorta suum.

VIII.

In Eunomum Menium.

Languentem Caium moriturum dixerat ægrum
Eunomus, evasit fati ope, non medici.
Paulò pòst ipsum videt, aut vidisse putavit
Pallentem & multâ mortis in effigie.
Quis tu? Caius ait Vivísne? hic abnuit. Et quid
Nunc agis hic? missu Ditis aït venio.
Ut quia notitiam rerúmq; hominúmq; tenerem,
Accirem medicos. Eunomus obriguit.
Tum Caius, Metuas nihil Eunome, dico ego &
Nullum qui saperet, dicere te medicum. (omnes)

In

IX.

In quendam omnium animalium voces fingentem

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenúmq; pecus, lanigerosq; greges
Balatu adsimulas, asinos quoque rudere dicas,
Quum vis Arcadicum fingere, Marce pecus.
Gallorum cantus, & ovantes gutture corvos,
Et quiquid vocum bellua talis habet.
Omnia cum simulas ita verè, ut ficta negentur,
Non potes humanæ vocis habere sonnm.

X.

In Didûs imaginem

Illa ego sum Dido vultu, quam conspicìs, hospes,
Assimilata modìs, pulchraq; mirificis.
Talis eram; sed non Maro quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namq; nec Æneas vidit me Troïus unquam,
Nec Lybiam advenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens atq; arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo castos quod pertulit enses,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat, vixi sine vulnere famæ:
Vita virûm: positis mænibus, oppetij.
Invida cur in me stimulasti Musa, Maronem,
Fingeret ut nóstræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis lectores credite de me,
Quam qui furta Deûm concubitusq; canunt:
Falsidici vates! temerant qui carmine verum:
Humanisq; Deos assimilant vitijs.

XI.

X I.

In Faustulum nanum.

Faustulus invectus formicæ, ut magno elephanto,
 Decidit & terræ terga supina dedit.
Moxq; idem ad mortem est mulctatus calcibus ejus,
 Perditus ut posset vix retinere, animam.
Vix tamen est fatus. Quid rides, improbe Livor,
 Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaëthon.

XII.

Theodosio Augusto.

Agricolam si flava Ceres dare semina terræ,
 Gradivus jubeat si capere arma ducem,
Solvere de portu classem Neptunus inermem,
 Fidere tam fas est, quam dubitare nefas.
Insanum quamvis hyemet mare, crudaq; tellus
 Seminibus, bello nec satis apta manus:
Nil dubitas, autore bono. Mortalia quærunt
 Consilium, certus jussa capesse Dei
Scribere me Augustus jubet; & mea carmina poscit
 Pæne rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed jussit; habebo.
 Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidas vires ipse excitat, & juvat idem
 Qui jubet, obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse Deo. Laudata pudoris
 Sæpe mora est, quoties *quid petiere pares*.
Quinetiam non jussa parant erumpere dudum
 Carmina. Quis nolet Cæsaris esse liber?
Ne ferat indignum vatem, centumq; lituras
 Mutandas semper deteriore notá.
Tu modò te jussisse, Pater Romane memento:
 Inque meis culpis da tibi Tu veniam.

XIII.

XIII.

Latino Pacato Drepanio filio.

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poeta quondam:
Inventoq; dedit statim Nepoti.
At nos illepidum rudem libellum,
Burras, quisquilias ineptiasq;
Credemus gremio cui fovendum?
Inveni, trepidè silete nactæ,
Nec doctum minùs aut minùs benignum,
Quàm quem Gallia præbuit Catullo.
Hoc nullus mihi charior meorum,
Quem pluris faciunt novem sorores.
Quàm cunctos alios Marone dempto,
Pacatum haud dubiè, Poeta, dicis:
Ipse est, intrepidè volate versus,
Et nidum in gremio fovete tuto.
Hic vos diligere, hic volet tueri:
Ignoscenda teget, probata tradet.
Post hunc judicium timete nullum.

EX CATULLO.

I.

Cornelio.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modò pumice expolitum?
Corneli, tibi. Namq; tu solebas
Meas esse aliud putare nngas
Jam tum, quum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! & laboriosis.

Quare habe Tibi quicquid hoc libelli est
Qualecunq; , quod ô patrima Virgo,
Plus uno maneat perenne sæclo.

II.

Ad Passerem filiolæ.

Passer delitiæ meæ puellæ ;
Quicum ludere , quem in sinu tenere.
Quoi primum digitum dare adpetenti.
Et acreis solet incitare morsus.
Tecum ludere, sicut ipsa, possem.
Et tristes animi levare curas.

III.

De passere mortuo.

Lugete O veneres Cupidinesq;
Et quantum est hominum venustiorum:
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer delitiæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamq; nôrat
Ipsam tam benè, quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat:
Sed circumsiliens modò huc modò illuc.
Ad solam dominam usq; pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc unde negant redire quenquam.
At vobis malè sit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male, ô misellè passer.
Tuâ nunc operâ meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

IIII.

Ad Uxorem

Vivamus mea, Lesbia, atq; amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere & redire possunt,
Nobis, quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum..
Dein quum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, nè sciamus,
Aut nè quis malus invidere possit,
Quum tantum sciat esse basiorum.

V,

Ad se viduum.

Miser Catulle desinas ineptire,
Et quod vides periisse perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles
Quum ventitabas quo *Catulla* ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Fulsere verè candidi tibi soles.
Nunc jam illa tota frigida, obrigens mæstos
Expectat (infandùm!) rogos, deinde urnam.
Nec quæ fugit sectare, nec miser vive.
Sed obstinatà mente perfer, obdura.
Vale *Catulla* jam Catullus obdurat.
Miser Catulle destinatus obdura.

VI.

Ad Verannium

Veranni omnibus meis amicis

Antistans mihi millibus trecentis:
Venistine domum ad tuos penates,
Fratresq; unanimos, tuamq; matrem?
Venisti? ô mihi nuncij beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus: applicansq; collum,
Jucundum os, oculosq; suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est beatiúsve?

VII.

Ad Fabullum.

Cænabis benè mi Fabulle apud me
Paucis, si tibi Dij favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam atq; magnam
Cænam, non sine florido libello,
Et vino, & sale, & omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cænabis benè. nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros lepores,
Seu quid suavius, elegantiusve est.
Nam unguentum dabo, quod meæ Catullæ
Donârunt Veneres Cupidinesq;
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

VIII.

Ad Calvum Licinium Oratorem.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego quidvè sum locutus,

Cur me tot malè perderes poetis?
Isti dij mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator:
Non est mi malè, sed benè ac beatè
Quod non dispereunt tui labores.
Dij magni horribilem & sacrum libellum,
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret
Saturnalibus optimo dierum.
Non, non hoc tibi Salse, sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia. Cæsios Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his supplicijs remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc unde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poetæ.

IX.

Ad Varrum.

Suffenus iste, Varre, quem probè nosti,
Homo est venustus, & dicax & urbanus,
Idemq; longè plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata. chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc quum legas, tum bellus ille & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.

Hoc quid, putemus esse? qui modò scurra,
Aut si quid hâc re tritius videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poëmata attigit. Neque idem unquam
Æquè est beatus ac poëma quum scribit.
Tam gaudet in se, tamq; se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neq; est quisquam,
Quem non in aliquâ re videre Suffenum
Possis. Suus cuiq; attributus est error,
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

X.

In Annales Volusii.

Annales Volusî cacata charta,
Votum solvite pro meâ puellâ.
Nam sanctæ Veneri Cupidiniq;
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desîssemq; truces vibrare Iambos;
Electissima pessimi poëtæ
Scripta, tardipedi Deo daturam
Infœlicibus ustulanda flammis.
Et hæc pessima se puella vidit
Joco se lepidè vovere Divis.
Nunc ô Cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Uriosq; apertos,
Quæq; Ancona, Cnidumq; arundinosam
Colis, quæq; Amathunta, quæq; Golgos,
Quæq; Durachium Adriæ tabernam,
Acceptum face, redditumq; votum,
Si non illepidum, neq; invenustum est.
At vos intereà venite in ignem
Pleni ruris, & inficetiarum,
Annales Volusi, cacata charta.

XI.

Ad Cornificium.

Malè eſt, Cornifici, tuo Catullo,
Malè eſt meherculè, & laborioſè:
Magíſq; & magis in dies, & horas
Iraſcor tibi, ſic meos amores.
Quem tu, quod minimum facillimumq; eſt,
Quâ ſolatus es adlocutione?
Paulum quidlibet adlocutionis,
Mœſtius lachrymis Simonideis.

XII.

In Egnatium.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet uſq; quaquam: ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium, quum Orator excitat fletum,
Renidet ille: ſeu pii ad rogum filii
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille: quicquid eſt, ubicunq; eſt,
Quodcunq; agit, renidet: hunc habet morbum,
Neq; elegantem, ut arbitror, neq; urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati,
Si urbanus eſſes, aut Sabìnus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obeſus Hetruſcus,
Aut Lanuvinus ater, atq; dentatus,
Aut Tranſpadanus, ut meos quoq; attingam,
Aut quilibet qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere uſquequaq; te nollem.
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiber in Celtiberâ terrâ,
Quod quiſq; minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem, atq; ruſſam defricare gingivam.
Ut quo iſte veſter expolitior dens eſt,

Hoc te amplius bibisse prædicet lotij.

XIII.

Ad Ravidum.

Quænam te mala mens, miselle Ravide,
Agit præcipitem in meos Iambos?
Quis Deus tibi non benè advocatus,
Vecordem parat excitare rixam?
Annè ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? quâ lubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longâ voluisti amare pœnâ.

XIV.

In quandam.

Adeste Hendecasyllabi, quot estis
Omnes undiq; quotquot estis, omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi nostra reddituram
Pugillaria: si pati potestis
Persequamur eam, & reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimicè, ac molestè,
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, & reflagitate:
Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.
Non assis facis? ô lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore,
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida redde codicillos,

Redde putida mœcha codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusq; nobis,
Si quid proficere ampliùs potestis.
Pudica & proba redde codicillos.

XV.

In amicam Formiani.

Salve nec nimio puella naso,
Nec bello pede, nec nigris oculis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sanè nimis elegante linguâ,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens, & inficetum!

XVI.

Ad M. T. Ciceronem.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotq; fuere, Marce Tulli,
Quotq; pòst aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta:
Tantò pessimus omnium poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Ex CLAUDIANO.

I.

Ad Gennadium Proconsulem.

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama secunda fori;
Graiorum populis & nostro cognite Nilo,

Utraq; gens fasces horret, amatq; tuos.
armina jejunas poscis solantia fauces ?
Testor amicitiam, nulla fuisse domi.
am mihi mox nidum pennis confisa relinquunt,
Et Lare contempto non reditura volant.

II.

De Mulabus Gallicis.

spice morigeras Rhodani torrentis alumnas,
Imperio nexas, imperioq; vagas :
issona quàm varios flectant ad murmura cursus,
Et certas adeant voce regente vias.
uamvis quæq; sibi nullis discurrat habenis,
Et pateant duro libera colla jugo ;
eu constricta tamen servit, patiensq; laborum
Barbaricos docili concipit arte sonos.
bsentis longinqua valent præcepta magistri,
Frænorumq; vices lingua virilis agit.
æc procul angustat sparsas, spargitq; coactas,
Hæc sistit rapidas, hæc properare facit.
æva jubet ? lævo deducunt limite gressum:
Mutavit strepitum ? dexteriora petunt.
ec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
Exutæ laqueis, sub ditione tamen ;
onsensúq; pares, & fulvis pellibus hirtæ
Esseda concordes multisonora trahunt.
iraris, si voce feras pacaverit Orpheus,
Cùm pronas pecudes Gallica verba regant.

III.

De Chrystallo.

olibus indomitum glacies Alpina rigorem
Sumebat, nimio jam pretiosa gelu.

Nec potuit totam mentiri corpore gemmam,
Sed medio mansit proditor orbe latex.
Auctus honor; liquidi crescunt miracula saxi,
Et conservatæ plus meruistis aquæ.

IV.

In Sphæram Archimedis.

Jupiter in parvo cùm cerneret æthera vitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumq; fidem, legesq; Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.
Jamq; suum volvens audax industria mundum
Gaudet, & humanâ sydera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
Æmula Naturæ parva reperta manus.

V.

De sene Veronensi.

Fœlix, qui propriis vitam transegit in arvis,
Una domus puerum quem videt, una senem:
Qui baculo nitens in quâ reptavit arena,
Natalis numerat sæcula longa casæ.
Illum non vario traxit Fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles;
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis,
Aspectu fruitur liberiore poli.

Frugibus alternis, non Consule, computat annum;
Autumnum pomis, Ver sibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemq; reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum
Æquævumq; videt consenuisse nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq; putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmisq; lacertis
Ætas robustum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter scrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

V I.

Servatoris Christi miracula aliquot.

Angelus alloquitur Mariam, quo præscia verbo
Concipiat, salvâ virginitate, Deum.
Dant Tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Christus;
Quo primum facto se probat esse Deum.
Quinq; explent panes, pisces duo, millia quinque;
Et Deus ex parvo plus superesse jubet.
Editus ex utero cœcus nova lumina sensit:
Et stupet ignotum se meruisse diem.
Lazarus è tumulo, Christo inclamante, resurgit;
Et duræ mortis lex resoluta perit.
Nutantem quatit unda Petrum: cui Christus in alto
Et dextrâ gressus firmat, & ore fidem.
Exsanguis Christi contingit fœmina vestem:
Stat cruor in venis: fit medicina fides.
Jussus post multos graditur Paralyticus annos,
Mirandum! lecti portitor ipse sui.

E. STATII Sylvarum libr. 2.

I.

Psittacus melioris.

Psittace dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ solers imitator Psittace linguæ:
Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
Hesternas miserande dapes moriturus inisti
Nobiscum; & gratæ carpentem munera mensæ
Vidimus; affatus etiam, meditatáq; verba
Reddideras: At nunc æterna silentia Lethes
Ille canorus habes. Cedat Phaëtontia vulgi
Fabula, nec soli celebrent sua funera Cygni.
At tibi, quanta domus rutilâ testudine fulgens?
Connexúsq; ebori virgarum argenteus ordo?
Argutúmq; tuo stridentia limina cornu?
Et querulæ jam sponte fores? Vacat ille beatus
Carcer, & angusti nusquam convitia tecti,
Huc doctæ stipentur aves, queîs nobile fandi
Jus natura dedit. Plangat Phœbeius ales,
Auditásq; memor penitus dimittere voces
Sturnus, & Aonio versæ certamine Picæ;
Quíq; refert jungens iterata vocabula perdix;
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili;
Ferte simul gemitus, cognataq; ducite flammis
Funera, & hoc cunctæ miserandum addiscite carmen
Occidit aëriæ celeberrima gloria gentis
Psittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ:
Quem non gemmatâ volucris Junonia caudâ
Vinceret aspectu, gelidi nec Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuêre sub Austro:
Ille salutator Regum, nomenq; locutus

Cæ-

Cæsareum, & queruli quondam vice functus amici,
Nunc conviva levis, monstrataq; reddere verba
Tam facilis : quo tu, Melior dilecte, recluso
Nunquam solus eras. At non inglorius umbris
Mittitur : Assyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum respirant gramine plumæ,
Sicaniisq; crocis : senio nec fessus inerti
Scandet odoratos Phœnix fœlicior ignes.

II.

Leo. Mansuetus Imp.

Quid tibi constratâ mansuescere profuit irâ?
Quid scelus, humanásq; animo dediscere cædes,
Imperiúmq; pati, & domino parere minori?
Quid quod abire domo, rursúsq; in claustra reverti
Suetus, & à captâ jam sponte recedere prædâ,
Insertásq; manus laxo dimittere morsu.
Occidis altarum vastator docte ferarum,
Non grege Massyllo, curvâq; indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu
Insitus, aut cœco foveæ deceptus hiatu,
Sed victus fugiente ferâ. Stat cardine aperto
Infœlix cavea, & clausas circum undiq; portas
Hoc licuisse nefas pavidi timuêre leones.
Tunc cunctis cecidêre jubæ, puduítq; relatum
Aspicere, & totas duxêre in lumina frontes.
At te non primo fusum novus obruit ictu
Ille pudor ; mansere animi, virtúsq; cadenti
A mediâ jam morte redit. Nec protinus omnes
Terga dedêre minæ : sicut sibi conscius alti
Vulneris, adversum moriens it miles in hostem,
Attollítq; manum, & ferro labente minatur ;
Sic piger ille gradu, solitóq; exutus honore

Fir-

Firmat hians oculos, animámq; hostémq; requirit.
Magna tamen subiti tecum solatia lethi
Victe feres; quòd te moesti Populúsq; Patresq;
Ceu notus caderes tristi gladiator arenâ,
Ingemuêre mori: magni quòd Cesaris ora
Inter tot Scythicas, Libycásq; & littore Rheni,
Et Pharia de gente feras; quas perdere vile est,
Unius amissi tetigit jactura Leonis.

III.

Consultatus Germanici Imp: E. libr, 4°.

Læta bis octonis, accedit purpura fastis
Cæsaris, insignemq; aperit Germanicus annum.
Atq; oritur cum sole novo, cum grandibus astris,
Clariùs ipse nitens, & primo major Eoo.
Exultent leges Latiæ; gaudete curules;
Et septemgemino jactantior æthera pulset
Roma jugo: plúsq; ante alias Evandrius arces
Collis ovet. Subiêre novi Palatia fasces,
Et requiem bis sextus honos, precibusq; receptis
Curia Cesareüm gaudet vicisse pudorem.
Ipse etiam immensi reparator maximus ævi
Attollit vultus, & utroq; a limine grates
Janus agit: quem tu vicinâ pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, noviq;
In leges jurare fori. Levat ecce supinas
Hinc atq; inde manus, geminâq; hæc voce profatur
Salve magne parens mundi, qui secula mecum
Instaurare paras: talem te cernere semper
Mense meo tua Roma cupit: sic tempora nasci
Sic annos intrare decet. Da gaudia fastis
Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ

Aspie

ſpicis ut templis alius nitor, altior aris
gnis, & ipſa meæ tepeant tibi ſidera brumæ,
Moribus atq; tuis gaudent turmæque, tribûſque,
urpureiq; patres, lucémq; à Conſule ducit
mnis honos. Quid tale precor prior annus habebat,
ic age, Roma potens? Et mecum longa vetuſtas
inumera faſtos, nec parva exempla recenſe,
ed quæ ſola meus dignetur vincere Cæſar.
er Latio, deciéſq; tulit labentibus annis
uguſtus faſces, ſed cœpit ſerò mereri.
u juvenis prægreſſus avos; & quanta recuſas,
uanta vetas? Flectêre tamen, precibúſq; Senatûs
ermittes hunc ſæpe diem. Manet inſuper ordo
ongior, & totidem fœlix tibi Roma curules
érq; quaterq; dabit: Mecum altera ſæcula condes,
t tibi longævi revocabitur * ara Tarenti.
ille trophæa feres, tantùm permitte triumphos.
eſtat Bactra novis, reſtat Babylona tributis
ænari. Nondum gremio Jovis Indica laurus,
ondum Arabes Seréſq; rogant: Nondum omnis hono-
nnus habet, cupiuntq; decem tua nomina menſes. (rem
Sic Janus: clauſóq; libens ſe poſte recepit.
unc omnes patuêre fores, lætóq; dederunt
igna polo, longúmq; tibi Rex, magne juventam
nnuit, atq; ſuos promiſit Jupiter annos.

*** Ara Tarenti, id eſt, Ludi Tarentini, viz. Seculares. Alii legunt *Parentis*.**

IV.

Ad Somnum è libr. 5.

Crimine quo merui, juvenis placidiſſime Divûm,
Quóve errore miſer, donis ut ſolus egerem
omne tuis? Tacet omne pecus, volucréſque, feráſque,

Et

Et ſimulant feſſos curvata cacumina ſomnos?
Nec trucibus fluviis idem ſonus. Occidit horror;
Unde ego ſufficiam? Non ſi mihi lumina mille,
Quæ ſacer alternâ tantùm ſtatione tenebat
Argus, & haud unquam vigilabat corpore toto.
At nunc heus aliquis longâ ſub nocte libellis
Obnixè incumbens, ultro te Somne repellit.
Inde veni, nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; hoc turba precatur
Lætior: extremo me tange cacumine virgæ,
Sufficit; aut leviter ſuſpenſo poplite tranſi.

V.

Riſus Saturnalitius.

Eſt ſanè jocus iſte, quòd libellum
Miſiſti mihi Grippe, pro libello.
Urbanum tamen hoc poteſt videri,
Si poſt hoc aliquid mihi remittas.
Nam ſi ludere, Grippe, perſeveras,
Non ludis: licet ecce computemus.
Noſter purpureus, novúſq; chartâ,
Et binis decoratus umbilicis.
Præter me, mihi conſtitit decuſſis.
Tu roſum tineis ſitúq; putrem,
(Quales aut Libycis madent olivis
Aut thus Niliacum pipérve ſervant)
Nec ſaltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas;
Sed Bruti ſenis oſcitationes,
De capsâ miſeri libellionis,
Emptum plus minus aſſe Caiano,
Donas. Uſq; adeóne defuerunt
Cæſis pilea ſuta de lacernis?

Vel mantilia, luridæve mappæ?
Sed certâ velut æquus in statera,
Nil mutas, sed idem mihi rependis.
Quid si cum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem,
Et tu me vicibus domi salutes?
Aut cum me dape juveris opimâ,
Expectes similes & ipse cœnas?
Irascor tibi Grippe, sed valebis.
Tantum ne mihi quo soles lepore,
Et nunc Hendecasyllabos remittas.

E TIBULLO.

I.

Eleg. XI *Lib.* I.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus & verè & ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit; nos ad mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus astabat cùm scyphus ante dapes.
Non acres, non vallus erat, somnumq; petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, & jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrij servate Lares: aluistis & ijdem,
Cursarem vestros cùm tener ante pedes.

Neu pudeat priſco vos eſſe e ſtipite factos,
  Sic veteres ædes incoluiſtis avi.
Tunc meliùs tenuêre fidem, quum paupere cultu
  Stabat in exiguâ ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam,
  Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.
Atq; aliquis voti compos liba ipſa ferebat
  Poſtq; comes purum filia parva favum.
At nobis ærata Lares depellite tela:
  Hoſtia erit plenâ ruſtica porcus harâ.
Hunc purâ cum veſte ſequar, myrtoq; caniſtra
  Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.
Sic placeam vobis; alius ſit fortis in armis,
  Sternat & adverſos Marte favente duces:
Ut mihi potanti poſſit ſua dicere facta
  Miles, & in menſâ pingere caſtra mero.
Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
  Imminet, & tacito clàm venit illa pede.
Non ſeges eſt infrâ, non vinea culta, ſed audax
  Cerberus, & Stygiæ navita puppis aquæ.
Illic perſciſſiſq; genis, uſtoq; capillo
  Errat ad obſcuros pallida turba lacus.
Quam potiùs laudandus hic eſt, quem prole paratâ
  Occupat in parvâ pigra ſenecta caſâ!
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos;
  Et calidam feſſo comparat uxor aquam.
Sic ego ſim, liceatq; caput candeſcere canis.
  Temporis & priſci facta referre ſenem.
Interea pax arva colat. Pax candida primùm
  Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
  Funderet ut nato teſta paterna merum.

ace bidens vomerq; vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
u nobis, Pax alma, veni, spicamq; teneto;
Præfluat & pomis candidus ante sinus.

II.

Lib. II. *Eleg.* I.

uisquis adest, faveat, fruges lustramus & agros:
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
acche veni dulcisq; tuis e cornibus uva
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres.
uce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
olvite vincla jugis. Nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
mnia sint operata Deo: non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
asta placent superis: purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
ernite fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaq; post oleâ candida turba comas.
ij patrij, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus:
eu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres segnior agna lupos.
unc nitidus plenis confisus rusticus areis
Ingerat ardenti grandia ligna foco.
urbaq; vernarum saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virigis extruat arte casas.
ventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuncia fibra Deos?
unc mihi formosum veteris proferte Falernum
Consulis & Chio solvite vincla cado.

Vina diem celebrent, non festâ luce madere
  Est rubor errantes & malè ferre pedes.
Sed benè Messalam sua quisq; ad pocula dicat,
  Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
  Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, aspiraq; mihi, dum carmine nostro
  Redditur agricolis gratia cælitibus.
Rura cano, rurisq; Deos, his vita magistris
  Destituit quernâ pellere glande famem.
Illi compositis primùm docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primùm docuisse feruntur
  Servitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus obiêre feri, tunc consita pomus,
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
  Mistaq; securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cùm syderis æstu
  Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
  Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primùm satiatus aratro
  Cantavit certo rustica verba pede:
Et satur arenti primùm est modulatus avenâ
  Carmen, ut ornatos duceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti,
  Primus inexpertâ duxit ab arte choros.
Huic datus è pleno memorabile munus ovili
  Dux pecoris hircus, duxerat hircus oves.
Rure puer verno primùm de flore coronam
  Fecit, & antiquis imposuit Laribus.

Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
 Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & fœmineus labor est, hinc pensa, colúsque;
 Fusus & apposito pollice versat opus.
Atq; aliqua assiduè textrix operata Minervam
 Cantat, & appulso tela sonant latere.
pse quoq; inter agros, intérq; armenta Cupido
 Natus, & indomitas dicitur inter equas.
llic indocto primùm se exercuit arcu,
 Hei mihi quàm doctas nunc habet ille manus?

III.

Eleg. 2.

icamus, Bona verba, venit natalis ad aras:
 Quisquis ades, linguâ vir muliérve fave:
rantur pia thura focis, urantur odores,
 Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.
pse suos Genius adsit visurus honores,
 Cui decorent sanctas mollia serta comas.
llius puro distillent tempora nardo,
 Atq; satur libo sit, madeátq; mero.
nnuat & Cerinthe tibi quodcúnq; rogabis,
 En age quid cessas? annuit ille, roga.
uguror, uxoris fidos optabis amores.
 Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
ec tibi malueris totum quæcúnq; per orbem
 Fortis arat valido rusticus arva bove.
ec tibi gemmarum quicquid felicibus undis
 Nascitur Eöi quâ maris unda rubet.
ota cadunt: utinam strepitantibus advolet alis,
 Flaváq; conjugio vincula portet Amor.
incula quæ maneant semper, dum tarda senectus
 Inducat rugas, inficiátq; comas.

Huc

Huc veniat natalis avis, prolémq; miniſtret,
  Ludat & ante tuos turba novella pedes.

E PROPERTIO.
Lib. II. Eleg. IX.

De Amore.

Quicúnq; ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
  Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primùm vidit ſine ſenſu vivere amantes,
  Et levibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtrà ventoſas addidit alas,
  Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alternâ quoniam jactamur in undâ,
  Noſtráq; non ullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis,
  Et pharetra ex humeris Gnoſſia utroq; jacet.
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hoſtem,
  Nec quiſquam ex illo vulnere ſanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago,
  Sed certe pennas perdidit ille ſuas:
Evolat ah! noſtro quoniam de pectore nuſquam,
  Aſſiduúſq; meo ſanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum ſiccis habitare medullis?
  Si pudor eſt, alio trajice tela tua.
Intactos iſto ſatius tentare veneno;
  Non ego, ſed tenuis vapulat umbra mea.
Quam ſi perdideris, quis erit qui talia cantet?
  Hæc mea Muſa levis gloria magna tua eſt.

Lib. III. Eleg. I.

Callimachi manes, & Cöi ſacra Philetæ,
  In veſtrum, quæſo, me ſinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
  Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuâſtis in antro,
  Quóve pede ingreſſi, quámve bibiſtis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicunq; moratur in armis:
  Exactus tenui pumice verſus eat.
Quo me fama levat terrâ ſublimis? & à me
  Nata coronatis Muſa triumphat equis,
En mecum in curru parvi vectantur amores,
  Scriptorúmq; meas turba ſecuta rotas.
Quid fruſtra miſſis in me certetis habenis?
  Non datur ad Muſas currere lata via.
Multi Roma tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem Imperij Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
  Detulit intactâ pagina noſtra viâ.
Mollia Pegaſides veſtro date ſerta poëtæ,
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Poſt obitum duplici fænore reddet honos.
Omnia poſt obitum fingit majora vetuſtas,
  Majus ab exequijs nomen in ora venit.
Nam quis equo pulſas abiegno noſceret arces?
  Fluminàq; Hæmonio cominus iſſe viro?
Idæum Simoënta Jovis cunabula parvi?
  Hectora per campos ter maculâſſe rotas?
Deïphobúmque, Helenúmque, & Polydamanta ſine ar-
  Qualemcunq; Parin vix ſua noſſet humus.

Exi-

Exiguo ſermone fores nunc Ilion, & tu
Troja bis Oetæi numine capta Dei.
Nec non ille tui caſus memorator Homerus
Poſteritate ſuum creſcere ſenſit opus.
Méq; inter ſeros laudabit Roma nepotes:
Illum poſt cineres auguror eſſe diem.
Nè mea contempto lapis indicet oſſa ſepulchro
Proviſum eſt, Lycio vota probante Deo.
Fortunata meo ſiqua es celebrata libello:
Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ.
Nam neq; Pyramidum ſumptus ad ſydera ducti,
Nec Jovis Elæi cœlum imitata domus;
Nec Mauſolæi dives fortuna ſepulchri,
Mortis ab extremâ conditione vacat.
Aut illis flamma aut imber ſubducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidet, ingenio ſtat ſine morte decus.

Propertii *Somnium è libr.* 3.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbrâ,
Bellerophontæi quâ fluit humor equi:
Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum
Tantum operis nervis hiſcere poſſe meis:
Parváq; tam magnis admôram fontibus ora,
Unde pater ſitiens Ennius antè bibit.
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiáq; Æmiliâ vecta trophæa rate:
Victoríſq; moram Fabij, pugnámq; ſiniſtram
Cannenſem, & verſos ad pia vota Deos:
Hannibalémq; Lares Romanâ ſede fugantes,
Anſeris & tutum voce fuiſſe Jovem:

Quum me Castaliâ speculans ex arbore Phœbus
Sic ait auratâ nixus ad antra lyrâ ;
Quid tibi cum tali demens est flumine ? quis te
Carminis Heröi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama Properti ;
Mollia sunt parvis prata terenda rotis.
Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros ?
Non est ingenij cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pandebántq; cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami, Pan Tegeæe, tui;
Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ,
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu;
Diversæq; novem sortitæ jura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc ederas legit in thyrsos, hæc carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utrâq; rosam:
E quarum numero me contigit una Dearum,
Ut reor è facie, Calliopeïa fuit.
Contentus niveis semper vectabere cygnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano prælia signo
Stant, & Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aquâ.

Talia Calliope: lymphísq; à fonte petitis
Ora Phileteâ nostra rigavit aquâ.

Ejusdem, De morte Pæti ob avaritiam.

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano térq; quatérq; mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo,
Et nova longinquis piscibus esca natat.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor.
Dij maris, Ægei quos sunt penes æquora ponti!
Et quæcunq; meum degravat unda caput!
Quò rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta nostra manus.
Ah miser, Alcyonum scopulis affigar acutis:
In me cæruleo fuscina sumpta Deo est.
At saltem Italiæ regionibus advehat æstus:
Hoc de me sat erit, si modò matris erit.
Subtrahit hæc fantem tortâ vertigine fluctus;
Ultima quæ Pæto nòxq; diésq; fuit.
Pæte quid ætatem numeras? quid care natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda Deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Et mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec potes cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ;
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.

In-

nfœlix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
Quæ ſpolia ex illo tanta fuêre tibi?
ut quidnam fractâ gaudes Neptune carinâ?
Portabat ſanctos alveus ille viros.
centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu nocturno tacta dolore Thetis,
os decuit laſſo ſupponere brachia mento,
Non poterat veſtras ille gravare manus.
eddite corpus humo, poſitâq; in gurgite vitâ
Pætum ſponte tuâ vilis arena tegas.
t, quoties Pæti tranſibit nauta ſepulchrum,
Dicat: Et audaci tu timor eſſe potes.
e rates curvæ, & lethi texite cauſam,
Iſta per humanas mors venit acta manus.
erra parùm fuerat, fatis adjecimus undas.
Fortunæ miſeras auximus arte vias.
nchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas cui ſua terra parum eſt?
atura inſidians pontum ſubſtravit avaris:
Ut tibi ſuccedat, vix ſemel eſſe poteſt.
entorum eſt quodcunq; paras: haud ulla carina
Conſenuit, fallit portus & ipſe fidem.
unt Agamemnonias teſtantia littora curas,
Quæ notat Argyni pœna natantis aqua.
oc juvene amiſſo claſſem non ſolvit Atrides,
Pro quâ mactata eſt Iphigenia morâ.
axa triumphales fregere Capharea puppes
Naufraga cum vaſto Græcia tracta ſalo eſt.
aulatim ſociûm jacturam flevit Ulyſſes.
In mare cui ſolum non valuere doli.
unc parvo ferri vidit nox improba ligno.
Pætus ut occideret, tot coïere mala.

Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ,
  Et duro teneros lædere fune manus:
Huic fluctus vivo radicitùs abstulit ungues,
  Et miser invitam traxit hiatus aquam.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
  Verbáq; duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva penates
  Pauper, & in terrâ, nil ubi flere potest.
At tu sæve Aquilo, nunquam mea vela videbis.
  Ante fores dominæ condar oportet iners.

Lib. 4. Eleg. 12.
Ad Paulum: Cornelia.

Desine Paule meum lachrymis urgere sepulchrum.
  Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum semel infernas intrârunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viæ.
Te licèt orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
  Nempè tuas lachrymas littora surda bibent.
Vota movent superos: ubi portitor æra recepit,
  Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic mœstæ cecinêre tubæ, quum subdita nostrum
  Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Pauli, quid currus avorum
  Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minùs immites habui Cornelia Parcas,
  Et sum quod digitis quinq; lavatur onus?
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
  Et quæcunq; meos implicat unda pedes.
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
  Det pater huic umbræ mollia jura meæ.

Ipsa loquor pro me. Si fallo, pœna sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita decora trophæi,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis utraq; fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & exceptas altera vitta comas:
Jungor Paule tuo sic discessura cubili,
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi Roma colendos,
Sub quorum titulis Africa tanta jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis
Quìq; tuas proavus fregit Achilla domos:
Me neq; censuræ legem metuisse, nec ullâ
Labe meâ vestros erubuisse focos.
Non erat exuvijs tantis Cornelia damnum:
Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas, sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramq; facem.
Mî natura dedit leges à sanguine ductas,
Nec possim melior judicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat urna tabellas,
Turpior assensu non erit ulla meo.
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybellam,
Claudia turritæ rara ministra Deæ:
Vel cui commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput mater Scribonia læsi.
In me mutatum quid nisi fata, velis?
at ernis laudor lachrymis, urbisq; querelis,
Defensa & gemitu Cæsaris ossa mea.

Ille ſua natâ dignam vixiſſe ſororem
  Increpat ; & lachrymas vidimus ire Deo.
Te Lepide & te Paule, meum poſt fata levamen,
  (Condita ſunt veſtro lumina noſtra ſinu)
Vidimus, & fratrem ſellam geminâſſe curulem :
  Conſule quo fati crimine rapta ſoror.
Et benè habet : mater nunquam lugubria ſumſi :
  Venit in exequias tota caterva meas.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
  Hæc cura & cineri ſpirat inuſta meo.
Fungere maternis vicibus pater ; illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oſcula quum dederis tua flentibus, adjice matris,
  Tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.
Et ſiquid doliturus eris, ſine teſtibus illis,
  Quum venient ſiccis oſcula falle genis.
Sat tibi ſint noctes, quas de me Paule fatiges:
  Somniáq; in faciem credita ſæpè meam.
Atq; ubi ſecreto noſtra ad ſimulachra loqueris,
  Ut reſponſuræ ſingula verba jace.
Seu tamen adverſum mutârit janua lectum ;
  Sederit & noſtro cauta noverca toro:
Conjugium pueri laudate & ferte paternum,
  Capta dabit veſtris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis, collata priori
  Vertat in offenſas libera verba ſuas.
Seu memor ille meâ contentus manſerit umbrâ,
  Et tanti cineres duxerit eſſe meos :
Diſcite venturam jam tunc ſentire ſenectam,
  Cœlibis ad curas nec vacat ulla via.
Quod mihi detractum eſt, veſtros accedat ad annos:
  Prole meâ Paulum ſic juvat eſſe ſenem.

Filia tu ſpecimen cenſuræ nacta paternæ,
Fac teneas unum nos imitata virum.
Hæc eſt feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

Corn. Galli Eleg. I.

Æmula cur ceſſas finem properare ſenectus?
Vel quid in hoc feſſo corpore tarda ſedes?
Solve precor miſeram tali de carcere vitam.
Mors eſt jam requies, vivere pæna mihi.
Non ſum qui fuerim, perijt pars maxima noſtri:
Hoc quoq; quod ſupereſt, languor & horror habet.
Lux gravis in luctu, rebus mæſtiſſima lætis:
Quodq; omni eſt pejus funere velle mori.
Dum juvenile decus, dum mens ſenſúſq; manebat,
Orator toto clarus in orbe fui.
Sæpè poetarum mandacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.
Sæpè peroratâ præcepi lite coronam,
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.
Quæ, cum defunctis jam ſunt immortua membris,
Heu ſenibus vitæ portio quanta manet?
Nec minor his aderat ſublimis gratia formæ:
Quæ, vel ſi deſint cætera multa, placet.
Quinetiam virtus fulvo pretioſior auro,
Per quam præclarum plùs micat ingenium.
Si placuit canibus denſos circundare ſaltus,
Occubuit telis præda petita meis.
Si libuit celeres arcu tentare ſagittas,
Proſtravi multas non ſine laude feras.
Dulce fuit madidam ſi fors verſare palæſtram,
Implicui validis lubrica membra toris.

Nunc

Nunc agili curſu cunctos anteïre ſolebam ;
 Nunc tragico cantus exuperare meo.
Augebat meritum dulcis mixtura bonorum,
 Ut ſemper varium plus micat artis opus.
Nam quecunq; ſolent per ſe perpenſa placere,
 Alterno potiùs vincta decore placent.
Has inter virtutis opes, tolerantia rerum
 Spernebat cunctas inſuperata minas.
Vertice nudato ventos pluviaſq; ferebam,
 Non mihi ſolſtitium nec grave frigus erat:
Innabam gelidas Tyberini fluminis undas,
 Nec metui dubio credere membra freto.
Quamvis exiguo, poteram requieſcere ſomno,
 Et quamvis modico, membra fovere cibo.
At ſi me ſubitò vinoſus repperit hoſpes,
 Et totos ſuaſit ſumere vina dies;
Ceſſit & ipſe pater Bacchus, ſtupuitq; bibentem,
 Et quicunq, ſolet vincere, victus abit.
Haud facile eſt animum tantis inflectere rebus,
 Ut res oppoſitas mens ferat una duas.
Intrepidus quæcunq; forent, ad utrumq; ferebar:
 Cedebant animo triſtia cuncta meo.
Pauperiem modico contentus ſemper amavi,
 Et rerum Dominus nil cupiendo fui.
Tu me ſola tibi ſubdis miſeranda ſenectus,
 Cui cedit quicquid vincere cuncta poteſt.
In te corruimus, tua ſunt quæcunq; fatiſcunt:
 Ultima quæq; tuo conficis ipſa malo.
Cuncta trahit ſecum, vertitq; volubile tempus:
 Nec patitur certâ currere quemq; viâ.
Nunc via longa mihi, gravis eſt & inutilis ætas,
 Vivere quum nequeam, ſit mihi poſſe mori.

quàm dura premit miſeros conditio vitæ ?
Nec mors humano ſubjacet arbitrio.
ulce mori miſeris, ſed mors optata recedit:
At quum triſtis erit, præcipitata venit.
e verò heu tantis defunctum partibus olim,
Tartareas vivum conſtat inire vias.
m minor auditus, guſtus minor, ipſa minora
Lumina, vix tactu noſcere certa queo.
ullus dulcis odor, nulla eſt jam grata voluptas,
Senſibus expertum quis ſupereſſe putet ?
n Lethæa meam ſubeunt oblivia mentem,
Nec, confuſa, ſui jam meminiſſe poteſt.
d nullum conſurgit opus, cùm corpore languet,
Atq; intenta ſuis obſtupet uſq; malis.
armina nulla cano: cantandi ſumma voluptas
Heu fugit, & vocis gratia vera perit.
ſaq; me ſpecies quondam delecta reliquit:
Et videor formæ mortuus eſſe meæ.
o niveo rutiloq; priùs, nunc inficit ora
Pallor, & exanguis funereüſq; color.
et ſicca cutis, rigidi ſtant undiq; nervi,
Et lacerant uncæ tabida membra manus.
uondam ridentes oculi, nunc fonte perenni
Deplangunt pœnas nocte dieq; ſuas.
t quos grata priùs ciliorum ſerta tegebant
Deſuper incumbens hiſpida ſylva premit,
c velut incluſi cæco conduntur in antro:
Neſcio quid torvum, vel furiale vident.
m pavor eſt vidiſſe ſenem, nec credere poſſis
Hunc hominem, humanâ qui ratione caret.
i libros repeto, duplex ſe littera findit,
Largior occurrit pagina nota mihi.

Claram

Claram per nebulas videor mihi cernere lucem,
Nubila sunt oculis ipsa serena meis.
Eripitur sine nocte dies : caligine cæcâ
Septum Tartareo quis negat esse loco?
Talia quis demens homini presuaserit autor,
Ut cupiat voto turpior esse suo ?
Jam subeunt morbi, subeunt discrimina mille :
Jam dulces epulæ delitiæq; nocent.
Cogimur à gratis animum suspendere rebus,
Atq; ut vivamus, vivere desinimus.
Et jam me dudum, cui nulla adversa nocebant,
Ipsa, quibus regimur, nunc alimenta gravant.
Esse libet saturum, saturum mox esse pigebit :
Præstat ut abstineam, ast abstinuisse nocet.
Quæ modò profuerat, contraria redditur esca:
Fastidita jacet, quæ modò dulcis erat.
Nec Veneris sunt grata mihi nec munera Bacchi,
Nec quicquid vitæ fallere damna solet.
Non potus, experta mihi medicamina, prosunt,
Non ægris quicquid ferre solebat opem.
Non secus instantem cupiens fulcire ruinam,
Diversis contra nititur obicibus:
Donec longa dies omni compage solutâ ,
Ipsum cum rebus subruat auxilium.
Quid, quod nulla levant animum spactacula rerum
Non mala tot vitæ dissimulare licet ?
Turpe seni vultus nitidi, vestesq; decoræ,
Atq; etiam est ipsum vivere turpe senem.
Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus;
O miseri, quorum gaudia crimen habent !
Quid mihi divitiæ , quarum si demeris usum ,
Quamvis largus opum, semper egenus ero ?

Im

Imò etiam pœna est partis incumbere rebus,
Quas cùm possideas est violare nefas:
Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & appositis abstinet ora cibis.
Efficior custos rerum magis ipse mearum,
Conservans aliis quæ periêre mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurimus hortis
Pervigil observat non sua poma draco.
Hinc me sollicitum torquent super omnia curæ,
Hinc requies animo non datur ulla meo.
Quærere quæ nequeo semper retinere laboro,
Et retinens semper, nil tenuisse puto.
Stat dubius tremulúsq; senex, sempérq; malorum
Credulus, & stultus quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos;
Hoc tantum rectum, quod sapit ipse, putat.
Se solum doctum se judicat esse peritum;
Et quod sit sapiens, desipit inde magis.
Multa licèt nobis referens, eadémq; revolvens
Horret, & alloquium conspuit ipse suum.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo:
O solâ fortes garrulitate senes!
Omnia necquicquam clamosis vocibus implet;
Nil satis est, horret, quæ placuêre modò.
Arridet de se ridentibus: at sibi plaudens
Incipit opprobrio lætior esse suo.
Hæ sunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit, & pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem, quæ fuit antè, manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis,
Quæq; brevis fuerat, jam modò longa mihi est.

Contrahimur miróq; modò decreſcimus ipſi;
  Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec cælum ſpectare licet, ſed prona ſenectus
  Terram, & quâ genita eſt, quò reditura, videt.
Fitq; tripes, deinde & quadrupes cèu parvulus infa[ns]
  Et per ſordentem (flebile) ſerpit humum.
Ortus cuncta ſuos repetunt matrémq; requirunt:
  Et redit ad nihilum quod fuit antè nihil.
Hinc eſt quod baculo incumbens ruitura ſenectus,
  Aſſiduo pigram verbere pulſat humum:
Et numeroſa movens certo veſtigia paſſu,
  Talia rugato creditus ore loqui:
Suſcipe me genitrix, nati miſerere laborum,
  Membra velis gremio feſſa fovere tuo.
Horrent me pueri, nequeo velut antè videri:
  Horrendos partus cur ſinis eſſe tuos?
Nil mihi cum ſuperis, explevi munera vitæ;
  Redde precor patrio mortua membra ſolo.
Quid miſeros variis prodeſt ſuſpendere pœnis?
  Non eſt materni pectoris iſta pati.
His dictis, trunco titubantes ſuſtinet artus,
  Neglecti repetens ſtamina dura tori;
Quo poſtquam jacuit, miſero quid funere differt?
  Heu tantùm attriti corporis oſſa vides.
Quúmq; magis jaceam ſemper, vivámq; jacendo:
  Quis ſub vitali me putet eſſe loco?
Jam pœna eſt totum quod vivimus: urimur æſtu,
  Officiunt nebulæ, frigus, & aura nocet.
Ros lædit, modicóq; etiam corrumpitur imbre;
  Veris, & Autumni lædit amœna dies.
Hinc miſerum ſcabies, hinc tuſſis anhela fatigat;
  Vix valet in gemitus ægra ſenecta ſuos.

os ſupereſſe rear, quibus & ſpirabilis aër,
Et lux, quâ regimur, redditur ipſa gravis ?
ſa etiam cunctis requies gratiſſima ſomnus
Abvolat, & ſerâ vix mihi nocte redit.
l ſi laſſatos unquam dignabitur artus,
Turbidus in quantis horret imaginibus!
ollia fulcra tori duris ſunt cotibus æqua :
Parva licèt, magnum pallia pondus habent.
ogor per mediam turbatus ſurgere noctem,
Multáq; nè patiar deteriora, pati.
incimur infirmi defectu corporis, & quâ
Noluero (infœlix) hâc ego parte trahor.
mnia naturæ ſolvuntur viſcera noſtræ,
Et tam præclarum quod malè mutat opus.
is veniens onerata malis inopina ſenectus,
Cedere ponderibus ſe docet ipſa ſuis.
rgo quis has cupiat per longum ducere pœnas ?
Paulatímq; animâ deficiente mori ?
orte mori melius, quàm vitam ducere mortis,
Et ſenſus membris ſic ſepelire ſuis.
on queror heu longi quod totum ſolvitis anni,
Improba naturæ dicere jura nefas.
eficiunt validi longævo tempore tauri:
Et quondam pulcher, qui modò turpis, equus.
racta diu rabidi compeſcitur ira Leonis :
Lentáq; per ſenium Caſpia Tigris erit.
pſa etiam veniens conſumet ſaxa vetuſtas,
Et nullum eſt quod non tempore cedat opus.
ed mihi venturos melius prævertere caſus,
Atq; infœlices anticipare dies.
œna minor, certam ſubitò præferre ruinam ;
Quod timeas gravius ſuſtinuiſſe diu.

At

At quos fert alios quis poſſit dicere caſus ?
Hoc quoq; difficile eſt commemoráſſe ſeni.
Jurgia, contemptus, violentáq; damna ſequuntur,
Nec quicquam ex tantis præbet amicus opem.
Ipſi me pueri, atq; ipſæ ſine lite puellæ
Turpe putant dominum me vocitare ſuum.
Irrident greſſus, irrident denique vultum,
Et tremulum, quondam quod timuêre caput.
Quúmq; nihil videam, tamen hoc ſpectare licebit,
Ut gravior miſero pœna ſit iſta mihi.
Fœlix qui meruit tranquillam ducere vitam,
Et lætos ſtabili claudere fine dies.
Dura ſatis miſero memoratio priſca bonorum,
Et graviùs ſummo culmine miſſa ruunt.

Eleg. VI.

Claude precor miſeras ætas verboſa querelas,
Nunquid adhuc vitium vis reſerare tuum ?
Sit ſatis indignum leviter tetigiſſe pudorem,
Contractata diu crimina crimen habent.
Omnibus eſt eadem lethi via, non tamen unus
Eſt vitæ cunctis, exitiiq; modus.
Hâc pueri, atq; ſenes pariter, juvenéſq; ferantur,
Hâc par divitibus pauper egenus erit.
Ergo quod aſtrictum quódq; eſt vitabile nulli,
Feſtino greſſu vincere præſtat iter.
Infœlix ceu jam defleto corpore ſurgo:
Hâc me defunctum vivere parte puto.

Eumolpi impetus, *apud*
PETRONIUM

Orbem jam totum Victor Romanus habebat,
Quâ mare, quâ terræ, quâ sidus currit utrumq;
Nec satiatus erat: gravidis freta pulsa carinis
Jam peragrabantur, si quis sinus abditus ultrâ,
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisq; in tristia bella paratis
Quærebantur opes: non vulgò nota placebant
Gaudia, non usu plebeio trita voluptas.
Assyriâ concham laudabat miles in undâ:
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidæ cristas, illinc nova vellera Seres,
Atq; Arabum populus sua despoliaverat arva.
Ecce aliæ clades & læsæ vulnera pacis.
Quæritur in sylvis Mauri fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente
Ad mortes pretiosa suas, premit advena classes
Tigris, & auratâ gradiens vectatur in aulâ,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu! pudet effari, perituraq; prodere fata:
Quærit se natura, nec invenit. omnibus ergo
Scorta placent, fractiq; enervi corpore gressus,
Et laxi crines, et tot nova nomina vestis,
Quæq; virum quærunt. Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges servorum, ostrumq; renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ sensum turbant. Hostile ac mobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit: omniaq; orbis
Præmia, correptis miles vagus extruit armis.

Ingeniosa

Ingeniosa gula est. Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus producitur : inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas,
Ut renovent per damna famem. Jam Phasidos unda
Orbata est avibus: mutoq; in litore tantum
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor est, emptiq; Quirites
Ad prædam strepitumq; lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum:
Est favor in precio, senibus quoq; libera virtus
Exciderat, sparsisq; opibus conversa potestas
Ipsaq; majestas auro corrupta jacebat.
Pellitur â populo victus Cato : tristior ille est
Qui vicit, fascesq; pudet rapuisse Catoni.
Namq; hoc dedecus est populi, morumq; ruina;
Non homo pulsus erat, sed in uno victa potestas
Romanmuq; decus. Quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.
Præterea gemino deprensam gurgite prædam
Fænoris illuvies, usu sq; exederat æris.
Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miseris, detritaq; commoda luxu
Vulneribus reparantur. Inops audacia tuta est.
Hoc mersam cæno Romam, somnoq; jacentem
Quæ poterant artes sana, ratione movere,
Ni furor & bellum, ferròq; excita libido ?
Tres tulerat fortuna duces; quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet: Libyco jacet æquore Magnus
Julius ingratam perfudit sanguine Romam.

Et, quaſi non poſſet tot tellus ferre ſepulchra,
Diviſit cineres. Hos gloria reddit honores.
Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,
Parthenopen inter, magnæq; Dicharchidos arva,
Cocytiâ perfuſus aquâ. Nam ſpiritus extra
Qui furit effuſus funeſto ſpargitur æſtu.
Non hæc Autumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite lætus ager: non verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur:
Sed Chaos, & nigro ſquallentia pumice ſaxa
Gaudent ferali circumtumulata cupreſſu.
Has inter ſedes Ditis pater extulit ora,
Buſtorum flammis & canâ ſparſa favillà;
Ac tali volucrem fortunam voce laceſſit:
Rerum humanarum divinarumq; poteſtas,
Fors, cui nulla placet nimium ſecura poteſtas,
Quæ nova ſemper amas, & mox poſſeſſa relinquis:
Ecquid Romano ſentis te pondere victam?
Nec poſſe ulterius perituram extollere molem?
Ipſa ſuas vires odit Romana juventus,
Et quas ſtruxit opes, male ſuſtinet. Aſpice latè
Luxuriam ſpoliorum & ſenſum in damna furentem:
Ædificant auro ſedeſq; ad ſydera mittunt.
Expelluntur aquæ ſaxis: mare naſcitur arvis:
Et permutatâ rerum ſtatione rebellant.
En etiam mea regna petunt. Perfoſſa dehiſcit
Molibus inſanis tellus. Jam montibus hauſtis
Antra gemunt: & dum varios lapis invenit uſus,
Inferno manes cœlum ſperare jubentur.
Quare age, fors, muta pacatum in prælia vultum,
Romanóſq; cie. ac noſtris da funera regnis.
Jampridem nullo perfundimus ora cruore,

Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus ;
Ex quo Sullanus bibit ensis, & horrida tellus
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.
Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram
Conatus, rupto tellurem solvit hiatu.
Tunc fortuna levi diffudit pectore voces.
O Genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modò vera mihi fas est impune profari,
Vota tibi cedent : nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc, leviórq; exurit flamma medullas.
Omnia, quæ tribui Romanis artibus, odi :
Muneribúsq;meis irascor : . destruet istas
Idem, qui posuit, moles Deus . Est mihi cordi
Quippe cremare viros , & sanguine pascere luxum.
Cerno equidem geminâ jam stratos morte Philippos
Thessaliæq, rogos, & funera gentis Iberæ.
Jam fragor armorum trepidantes personat aures;
Et Libyæ cerno tua Nile gementia claustra,
Actiacósq; sinus & Apollinis arma timentes.
Pande age terrarum sitientia regna tuarum
Atq; animas arcesse novas. Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virûm traducere cymbâ;
Classe opus est, túq; ingenti satiare ruina
Pallida Tisiphone, concisáq; vulnera mande.
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis.
Vix dum finierat, quum fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisósq; abscidit ignes.
Subsedit pater umbrarum, gremióq; reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuò clades hominum, venturáq; damna
Auspiciis patuere Deûm, námq; ore cruento
Deformis Titan vultus caligine texit.

iviles acies jam tum ſperare putares.
rte aliâ plenos extinxit Cynthia vultus,
t lucem celeri ſubduxit, rupta tonabant
erticibus laſſis montis juga, nec vaga paſſim
umina per notas ibant morientia ripas.
rmorum ſtrepitu cœlum furit, & tuba Martem
deribus tranſmiſſa ciet: jamq; Ætna voratur
gnibus inſolitis, & in æthera fulmina mittit.
cce inter tumulos, atq; oſſa carentia buſtis
mbrarum facies diro ſtridore minatur.
ax ſtellis comitata novis incendia ducit:
nguineóq; recens deſcendit Jupiter imbre.
æc oſtenta brevi ſolvit Deus. Exuit omnes
uippe moras Cæſar, vindictæq; actus amore
allica projecit, civilia ſuſtulit arma.
Alpibus aëriis, ubi Graio nomine, pulſæ
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer. hunc nive dura
Claudit hyems, canóq; ad ſidera vertice tollit.
Cœlum illinc cecidiſſe putes: non ſolis adulti
Manſueſcit radiis, non verni temporis aurâ:
ed glacie concreta rigent, hyemíſq; pruinis
Totum ferre poteſt humeris minitantibus orbem.
Hæc ubi calcavit Cæſar juga milite læto,
Optavítq; locum ſummo de vertice montis
Heſperiæ campos late proſpexit, & ambas
ntentans cum voce manus ad ſidera, dixit:
upiter omnipotens, & tu Saturnia Tellus
Armis læta meis, olímq; onerata triumphis:
Teſtor ad has acies invitum arceſcere Martem,
Invitas me ferre manus, ſed vulnere cogor,
Pulſus ab urbe meâ dum Rhenum ſanguine vinco,

Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo, vincendo certior exul:
Sanguine Germano sexagintáq; triumphis
Esse nocens cœpi. quanquam quos gloria terret,
Aut qui sunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,
Ac viles operæ, quorum est mea Roma noverca;
Ut reor haud impune, nec hanc sine vindice dextram
Vinciet ignavus. Victores ite ferentes,
Ite mei Comites, & causam dicite ferro.
Namq; omnes unum crimen vocat: omnibus una
Impendet clades. reddenda est gratia vobis:
Non solus vici. quare, quia pœna trophæis
Imminet, & sordes meruit victoria nostra,
Judice fortuna cadat alea. sumite bellum,
Et tentate manus;certe mea causa peracta est.
Inter tot fortes armatus nescio vinci.
Hæc ubi personuit,de cœlo Delphicus ales
Omnia læta dedit, pepulítq; meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte sinistrâ
Insolitæ voces flammâ sonuere sequenti.
Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.
Fortior ominibus movit Mavortia signa
Cæsar, & insolito gressu prior occupat haustus.
Prima quidem glacies & canâ juncta pruinâ
Non pugnavit humus, mitíq; horrore quievit:
Sed postquam turmæ nimbos fregêre ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluêre nives, mox flumina montibus altis
Undabant modò nata: sed hæc quoq; jussa putares
Stabant, & vinctâ fluctus stupuere pruina:
Et paulò ante lues jam concidenda jacebat.

Tum verò malefida prius vestigia lusit,
Decepítq; pedes. passim turmæq; virique,
Armaq; congesta strue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concussæ flamine nubes
Exonerabantur, nec rupti turbine venti
Deerant, aut tumido confractum grandine coelum.
Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,
Et concreta gelu ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti Tellus nive, victáq; coeli
Sidera; victa suis hærentia flumina ripis :
Nondum Cæsar erat : sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.
Qualis Caucaseâ decurrens arduus arce
Amphitryoniades; aut torvo Jupiter ore,
Quum se verticibus magni demisit Olympi,
Et periturorum disjecit tela Gigantum.
Dum Cæsar tumidas iratus deprimit arces :
Interea volucer motis conterrita pennis
Fama volat, summíq; petit juga celsa Palati :
Atq; hoc Romano attonito fert omnia signa :
Jam classes fluitare mari, totásq; per Alpes
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
Arma, cruor, cædes, incendia, totáq; bella
Ante oculos volitant. ergo pulsata tumultu
Pectora per dubias scinduntur territa causas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur,
Et patriâ est pontus jam tutior. est magis arma
Qui tentata velit, fatísq; jubentibus actus,
Quantum quísq; timet, tantum fugit. ocyor ipse
Hos inter motus populus (miserabile visu !)
Quo mens icta jubet, desertâ ducitur urbe.
Gaudet Roma fugâ, debellatíq; Quirites

Ru-

Rumoris ſonitu mœrentia tecta relinquunt.
Ille manu trepidâ natos tenet: ille penates
Occultat gremio, deploratúmq; relinquit.
Lumen, & abſentem votis interficit hoſtem
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungunt,
Grandævóſq; Patres: oneríſq; ignara juventus
Id, pro quo metuit, tantum trahit. omnia ſecum
Hic vehit imprudens prædámq; in prælia ducit.
Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auſter,
Et pulſas evertit aquas, non arma miniſtris,
Non regimen prodeſt: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta ſinu tranquilláq; littora quærit:
Hic dat vela fugæ, fortunæq; omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum conſule Magnu
Ille tremor Ponti, ſævi quoq; terror Hydaſpis,
Et piratarum ſcopulus: modò quem ter ovantem
Jupiter horruerat, quem fracto in gurgite pontus,
Et veneratus erat ſubmiſſa Boſporus unda,
Proh pudor! imperii deſerto nomine fugit,
Ut fortuna levis Magni quoq; terga videret.
Ergo tanta lues Divum quoq; numina vidit,
Conſenſítq; fugæ cœli timor. ecce per orbem
Mitis turba Deum, terras exoſa furentes
Deſerit, atq; hominum damnatum avertitur agmen:
Pax prima ante alios, niveos pulſata lacertos,
Abſcondit galeâ victum caput; atq; relicto
Orbe ſagax Ditis petit implacabile regnum.
Hinc comes it ſincera Fides, & crine ſoluto
Juſtitia, ac mœrens lacerâ Concordia pallâ.
At contrà, ſedes Erebi qua rupta dehiſcit,
Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys
Et Bellona minax, facibúſq; armata Megæra:

Lo

Letúmq; Insidiæque, & lurida Mortis imago.
Quas inter Furor, abruptis seu liber habenis
Sanguineum late tollit caput, oráq; mille
Vulneribus confossa cruentâ casside velat.
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis : atq; flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutatáq; sidera pondus
Quæsivere suum. namq; omnis Regia cœli
In partes diducta ruit. primúmq; Dione
Cæsaris acta sui ducit. comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mavortius hastam:
Magnáq; cum Phœbo soror, & Cyllenia proles
Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.
Infremuere tubæ, & scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput. hujus in ore
Concretus sanguis, contusáq; lumina flebant.
Stabant ærati scabrâ rubigine dentes:
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atq; intertorto laceratâ pectore veste,
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.
Hæc ut Cocyti tenebras, & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
Unde omnes terras, atq; omnia littora posset
Aspicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
Atq; has erumpit furibundo pectore voces:
Sumite nunc gentes accensis mentibus arma,
Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.
Vincetur quicunq; latet, non fœmina cesset,
Non puer, aut ævo jam desolata senectus.
Ipsa tremat tellus, laceratáq; tecta rebellent.
Tu legem Marcelle tene: tu concute plebem

Curis,

Curis, tu fortem nè ſupprime, Lentule, Martem:
Quid porro tu Dive tuis cunctaris in armis?
Non frangis portus? non muris oppida ſolvis,
Theſauróſq; rapis? neſcis tu Magne tueri,
Romanas acies? Epidauria mœnia quære,
Theſſalicóſq; ſinus humano ſanguine tinge.
Factum eſt in terris quicquid Diſcordia juſſit.

E BOETHIO,

Cujus aliquid quòd neglexerit, id peccati donandum eſt Compendio.

Lib. 1. Metr. 1.

Carmina qui quondam ſtudio florente peregi,
  Flebilis heu! mœſtos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda Camœnæ,
  Et veris elegi fletibus ora rigant.
Has ſaltem nullus potuit pervincere terror,
  Nè noſtrum comites proſequerentur iter.
Gloria fœlicis olim viridiſq; juventæ
  Solantur mœſti nunc mea fata ſenis.
Venit enim properata malis inopina ſenectus,
  Et dolor ætatem juſſit ineſſe ſuam.
Intempeſtivi funduntur vertice cani,
  Et tremit effœto corpore laxa cutis.
Mors hominum fœlix, quæ ſe nec dulcibus annis
  Inſerit, & mœſtis ſæpe vocata venit.
Heu! heu! quam ſurdâ miſeros avertitur aure,
  Et flentes oculos claudere ſæva negat.
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
  Penè caput triſtis merſerat hora meum.

unc quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.
uid me fœlicem toties jactâstis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

II.

uisquis composito serenus ævo,
atum sub pedibus dedit superbum,
ortunámq; tuens utramq; rectus,
victum potuit tenere vultum:
on illum rabies, minæq, ponti
ersum funditùs excitantis æstum,
ec raptis quoties vagus caminis
orquet fumificos Vesevus ignes,
ut celsas soliti ferire turres
rdentis via fulminis movebit.
uid tantùm miseri feros tyrannos
irantur sine viribus furentes?
ec speres aliquid, nec extimescas,
xarmaveris impotentis iram.
t quisquis trepidus pavet vel optat,
uod non sit stabilis suíq; juris,
bjecit clypeum, locóq; motus
ectit, quâ valeat trahi, catenam.

VII.

ubibus atris
ondita nullum
undere possunt
ydera lumen.

Si mare volvens
Turbidus auster
Misceat æstum,
Vitrea dudum

Párq; ſerenis
Unda diebus,
Mox reſoluto
Sordida cœno,
Viſibus obſtat.
Quíq; vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpè reſiſtit
Rupe ſoluti
Objice ſaxi.
Tu quoq; ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem:
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spémq; fugato,
Nec dolor adſit;
Nubila mens eſt,
Vinctáq; fræniſ,
Hæc ubi regnant.

Lib. 2. *Metr.* 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas,
Aut quot ſtelliferis edita noctibus
Cœlo ſydera fulgent:
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu,
Humanum miſeras haud ideò genus
Ceſſat flere querelas.
Quamvis vota libens excipiet Deus
Multi prodigus auri;
Et claris avidos ornet honoribus,
Nil jam parta videntur.
Sed quæſita vorans ſæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ jam præcipitem fræna cupidinem
Certo fine retentent,

Largis cum potius muneribus fluens
Sitis ardescit habendi?
Nunquam dives agit, qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

IV.

Quisquis volet perennem
Cautus ponere sedem,
Stabilísq; nec sonori
Sterni flatibus Euri,
Et fluctibus minantem
Curat spernere pontum;
Montis cacumen alti,
Bibulas vitet arenas.
Illud protervus auster
Totis viribus urget,
Hæ pendulum solutæ
Pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam
Sortem sedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamvis tonat ruinis
Miscens æquora. ventus,
Tu conditus quieti
Fœlix robore valli,
Duces serenus ævum,
Ridens ætheris iras

V.

Fœlix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande:
Nec Bacchica munera nôrat
Liquido confundere melle:
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miſcere veneno.
Somnos dabat herba ſalubres,
Potum quoq; lubricus amnis,
Umbras altiſſima pinus.
Nondum maris alta ſecabat,
Nec mercibus undiq; lectis
Nova littora viderat hoſpes.
Tunc claſſica ſæva tacebant,
Odijs neq; fuſus acerbis
Cruor horrida tinxerat arma.
Quid enim cruor hoſticus ulla
Vellet prior arma movere,
Cùm vulnera ſæva videret,
Nec præmia ſanguinis ulla?
Utinam modò noſtra redirent
In mores tempora priſcos.
Sed ſævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
Heu! primus quis fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmáſq; latere volentes,
Precioſa pericula fodit?

VII.

uicunq; ſolam mente præcipiti petit,
Summúmq; credit gloriam,
atè patentes ætheris cernat plagas,
Arctúmq; terrarum ſitum ;
revem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.
uid, ô ! ſuperbi colla mortali jugo
Fruſtrà levare geſtiunt ?
icet remotos fama per populos means
Diffuſa linguas explicet,
t magna titulis fulgeat claris domus,
Mors ſpernit altam gloriam :
volvit humile pariter & celſum caput,
Æquátq; ſummis infima.
bi nunc fidelis oſſa Fabricii manent ?
Quid Brutus aut rigidus Cato ?
gnat ſuperſtes fama tenuis pauculis
Inane nomen literis.
d quid decora novimus vocabula ?
Num ſcire conſumptos datur ?
cetis ergò prorſus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
uod ſi putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aurâ nominis,
ùm ſera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos ſecunda mors manet.

VIII.

Quod mundus ſtabili fide

Con-

Concors variat vices;
Quod pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent;
Quod Phœbus roſeum diem
Curru provehat aureo;
Ut quas duxerit Heſperus
Phœbe noctibus imperet;
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coërceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos;
Hanc rerum ſeriem ligat
Terras ac pelagus regens
Et cœlo imperitans amor.
Hic ſi fræna remiſerit,
Quicquid nunc amat invicem
Bellum continuò gerit:
Et quam nunc ſociâ fide
Pulchris motibus incitant,
Certent ſolvere machinam.
Hic ſancto populos quoq;
Junctos fœdere continet.
Hic & conjugii ſacrum
Caſtis nectit amoribus.
Hic fidis etiam ſua-
Dictat jura ſodalibus.
O fœlix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cœlum regitur regat.

Lib.

Lib. 3. *Metr.* 3.

Quamvis fluenti dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes ;
nerétq; baccis colla rubri littoris,
Ruráq; centeno ſcindat opima bove ;
ec cura mordax deſerit ſuperſtitem,
Defunctúmq; leves non comitantur opes.

V.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces :
Nec victa libidine colla
Fœdis ſummittat habenis.
Etenim licèt Indica longè
Tellus tua jura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas
Miſeráſq; fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

V I.

mne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu.
nus enim rerum pater eſt,
Unus cuncta miniſtrat.
e dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ.
e homines etiam terris
Dedit, & ſidera cœlo.

Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proavos strepitis?
Si primordia vestra,
Autorémq; Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens,
Proprium deserat ortum.

VII.

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit fruentes.
Apiúmq; par volantûm,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

VIII.

Heu! heu! quæ miseros tramite devio
Abducit ignorantia?
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vite gemmas carpitis;
Non altis laqueos montibus abditis,
Ut pisce ditetis dapes.
Nec vobis capreas si libeat sequi
Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quinetiam fluctibus abditos
Nôrunt recessus æquoris;

Quæ

Quæ gemmis niveis unda feracior
  Vel quæ rubentis purpuræ:
Nec non quæ tenero piſce, vel aſperis
  Præſtent echinis littora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum
  Neſcire cœci ſuſtinent:
Et quod ſtelliferum tranſabiit polum,
  Tellure demerſi petunt.
Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
  Opes, honores ambiant:
Et cùm falſa gravi mole paraverint,
  Tum vera cognoſcant bona.

Lib. 4. Metr. 2.

Quos vides ſedere celſo
  Solii culmine reges,
Purpura claros nitente,
  Septos triſtibus armis,
Ore torvo comminantes,
  Rabie cordis anhelos,
Detrahat ſi quis ſuperbis
  Vani tegmina cultus,
Jam videbit intùs arctas
  Dominas ferre catenas.
Hinc enim libido verſat
  Avidis corda venenis,
Hinc flagellat ira mentem
  Fluctus turbida tollens,
Mœror aut captos fatigat,
  Aut ſpes lubrica torquet.
Ergo cùm caput tot unum

Cernas ferre tyrannos,
Non facit, quod optat ipſe
Dominis preſſus iniquis.

III.

Vela Neritii ducis.
Et vagas pelago rates
Eurus appulit inſulæ,
Pulchra quâ reſidens Dea
Solis edita ſemine,
Miſcet hoſpitibus novis
Tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus,
Hunc apri facies tegit;
Ille Marmaricus Leo
Dente creſcit & unguibus:
Hic lupis ſuperadditus
Flere dum parat, ululat:
Ille, tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat.
Sed licèt variis malis
Numen Arcadis alitis
Obſitum miſerans ducem
Peſte ſolverit hoſpitis;
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant,
Jam ſues Cerealia
Glande pabula verterant.
Et nihil manet integrum,
Voce, corpore perditis.

Sola mens ſtabilis manens
Monſtra quæ patitur, gemit.
O levem nimium manum,
Nec potentia gramina!
Membra quæ valeant licet,
Corda vertere non valent!
Intùs eſt hominum vigor
Arce conditus abditâ.
Hæc venena potentiùs
Retrahunt hominem ſibi
Dira, quæ penitùs meant
Nec nocentia corpori,
Mentis vulnere ſæviunt.

IV.

Quid tantos juvat excitare motus,
Et propriâ fatum ſollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipſa
Sponte ſuâ, volucres nec remoratur equos.
Quos ſerpens, leo, tigris, urſus, aper
Dente petunt, iidem ſe tamen enſe petunt.
An, diſtant quia diſſidentq; mores,
Injuſtas acies & fera bella movent?
Alterniſq; volunt perire telis?
Non eſt juſta ſatis ſævitiæ ratio.
Vis aptam meritis vicem referre?
Dilige jure bonos, & miſereſce malis.

VII.

Bella bis quinos operatus annis

Ultor Atrides, Phrygiæ ruinis
Fratris amiſſos thalamos piavit.
Ille dum Graiæ dare vela claſſi
Optat, & ventos redimit cruore,
Exuit patrem, miſerúmq; triſtis
Fœderat natæ jugulum ſacerdos.
Flevit amiſſos Ithacus ſodales,
Quos ferus vaſto recubans in antro
Merſit immani Polyphemus alvo.
Sed tamen cœco furibundus ore
Gaudium mœſtis lachrymis rependit.
Herculem duri celebrant labores;
Ille Centauros domuit ſuperbos,
Abſtulit ſævo ſpolium leoni,
Fixit & certis volucres ſagittis:
Poma cernenti rapuit draconi,
Aureo læva gravior metallo:
Cerberum traxit triplici catenâ.
Victor immitem poſuiſſe fertur
Pabulum ſævis dominum quadrigis;
Hydra combuſto periit veneno;
Fronte turbatus Achelous amnis
Ora demerſit pudibunda ripis:
Stravit Antæum Lybicis arenis;
Cacus Evandri ſatiavit iras.
Quóſq; preſſurus foret altus orbis
Setiger ſpumis humeros notavit.
Ultimus cœlum labor irreflexo
Suſtulit collo, pretiúmq; rurſus
Ultimi cœlum meruit laboris.
Ite nunc fortes ubi celſa magni
Ducit exempli via, cur inertes

Terga nudatis ? ſuperata tellus
Sydera donat.

Lib. 5. *Metr.* 1.

Rupis Achæmeniæ ſcopulis, ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna ſagax,
Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt,
Et mox abjunctis diſſociantur aquis.
Si coëant, curſúmq; iterum revocentur in unum,
Confluat alterni quod trahit unda vadi:
Conveniant puppes & vulſi flumine trunci,
Mixtáq; fortuitos implicet unda modos:
Quos tamen ipſa vagos terræ declivia caſus
Gurgitis & lapſi defluus ordo regit.
Sic quæ permiſſis fluitare videtur habenis,
Fors patitur fræ nos, ipſáq; lege meat.

II.

Puro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus.
Qui tamen intima viſcera terræ
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirmâ perrumpere luce.
Haud ſic magni conditor orbis;
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole reſiſtunt:
Non nox atris nubibus obſtat.
Uno mentis cernit in ictu
Quæ ſint, quæ fuerint, veniántque.
Quem, quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poſſis dicere ſolem.

Æſop

Æſopi Apologi aliquot à
RUFO FESTO AVIENO
in Elegos converſi.

Ruſtica & Lupus. I.

Ruſtica deflenti parvo juraverat olim,
Ni taceat, rapido quòd foret eſca lupo.
Credulus hanc vocem lupus audiit, & manet ipſas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam laſſata puer placidæ dat membra quieti,
Spém quoq; raptori ſuſtulit inde fames.
Hunc ubi ſilvarum repetentem luſtra ſuarum
Jejunum conjux ſenſit adeſſe lupa;
Cur, inquit, nullam defers ex more rapinam:
Languida conſumptis ſed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude malignâ
Vix, miſerum vacuâ delituiſſe fugâ.
Nam, quæ præda rogo, quæ ſpes contingere poſſet,
Jurgia nutricis cùm mihi verba darent?
Hæc ſibi dicta putet, ſeq; hac ſciat arte notari,
Fœmineam quiſquis credidit eſſe fidem.

Cancri II.

Curva retro cedens cùm fert veſtigia cancer,
Hiſpida ſaxoſis terga reliſit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens præcedere greſſu,
Talibus alloquiis præmonuiſſe ferunt.
Ne tibi tranſverſo placeant hæc devia nate,
Rurſus in obliquos neu velis ire pedes:

Sed nisu contenta ferens vestigia recto,
Innocuos prono tramite siste gradus.
Cui gnatus, faciam, si me præcesseris, inquit,
Rectáq; monstrantem certior ipse sequar.

Boreas & Phœbus. III.

Immitis Boreas, placidúsq; ad sidera Phœbus
Jurgia cùm magno conseruêre Jove,
Quis prior inceptum peragat: mediúmq; per orbem
Carpebat solitum fortè viator iter.
Convenit hanc potius liti præfigere causam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulsus ventis circumtonat æther,
Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida summotos quo trahit aura sinus.
Sed tenues radios paulatim crescere Phœbus
Jusserat, ut nimio surgeret igne jubar,
Donec lassa volens requiescere membra viator,
Depositâ fessus veste sederet humi.
Tum victor docuit præsentia numina Titan,
Nullum præmissis vincere posse minis.

Asinus pelle Leonis indutus. IV.

Exuvias asinus Gætuli fortè leonis
Repperit, & spoliis induit ora novis,
Aptavítq; suis incongrua tegmina membris,
Et miserum tanto pressit honore caput.
Ast ubi terribilis animo circumstitit horror,
Pigráq; præsumptus venit in ossa vigor:

Mi-

Mitibus ille ſeris communia pabula calcans,
Turbabat pavidos per ſua rura boves.
Ruſticus hunc magnâ poſtquam deprendit ab aure,
Correptum vinclis, verberibúſq; domat;
Et ſimul abſtracto denudans corpora tergo,
Increpat his miſerum vocibus ille pecus.
Forſitan ignotos mutato murmure fallis ,
At mihi, ceu quondam, ſemper aſellus eris.

Rana & Vulpes. V.

Edita gurgitibus olímq; immerſa profundo,
Et luteis tantum ſemper amica vadis,
Ad ſuperos colles, herboſáq; prata recurrens
Mulcebat miſeras turgida rana feras;
Se poſſe arte ſuâ gravibus ſuccurrere morbis,
Et vitam innumeros continuare dies.
Nec ſe Pæonio jactat ceſſiſſe magiſtro,
Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc vulpes pecudum ridens aſtuta quietem,
Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida cæruleus cui notat ora color ?

Camelus & Jupiter. V I.

Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnis precibus ſollicitâſſe Jovem.
Turpe nimis cunctis, irridendúmq; videri,
Inſignes geminis cornibus ire boves
Et ſolum nullâ munitum parte camelum,
Objectum cunctis, expoſitúmq; feris.

Jupiter arridens poſtquam ſperata negavit,
 Inſuper ut magnæ ſuſtulit auris onus,
Vive minor merito, cui ſors non ſufficit, inquit.
 Et tua perpetuum livide damna geme.

Viatores & Vrſa. V I I.

Montibus ignotis curvíſq; in vallibus arctum
 Cum ſocio quidam ſuſcipiebat iter.
Securus quodcunq; malum fortuna tuliſſet,
 Robore collato poſſet uterq; pati.
Dúmq; per inceptum vario ſermone feruntur
 In mediam præceps convenit urſa viam.
Horum alter facili comprendens robora curſu,
 In viridi trepidum fronde pependit onus:
Ille trahens nullo jacuit veſtigia greſſu,
 Exanimem fingens, ſponte relisus humi.
Continuò prædam cupiens fera ſæva cucurrit,
 Et miſerum curvis unguibus ante levat:
Verum ubi concreto riguerunt membra timore:
 (Nam ſolitus mentis liquerat oſſa calor,)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver
 Deſerit, & luſtris conditur urſa ſuis.
Sed cùm ſecuri paullatim in verba rediſſent,
 Liberior juſto qui fuit ante fugax,
Dic ſodes, quidnam trepido tibi rettulit urſa?
 Nam ſecreta diu, multáq; verba dedit.
Magna quidem monuit: tamen hæc quoq; maxima
 Quæ miſero ſemper ſunt facienda mihi: (juſſit
Ne facile alterius repetas conſortia, dixit
 Rurſus ab inſanâ ne capiare ferâ.

Eques

Eques Calvus. VIII.

Calvus eques capiti ſolitus religare capillos,
Atq; alias compto vertice ferre comas,
Ad campum nitidis venit conſpectus in armis,
Et facilem frænis flectere cœpit equum.
Hujus ab adverſo Boreæ ſpiramina præſtant
Ridiculum, populo conſpiciente, caput.
Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſitâ quæ fuit antè comâ.
Ille ſagax, tantis quod riſus millibus eſſet,
Diſtulit admotâ calliditate Jocum.
Quid mirum adſcitos referens fugiſſe capillos,
Quem prius æquævæ deſeruêre comæ?

Taurus & Leo. IX.

Immenſum taurus fugeret cùm fortè leonem.
Tutaq; deſertis quæreret antra vijs:
Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat,
Cyniphij ductor qui gregis eſſe ſolet.
Poſt ubi ſubmiſſâ meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper:
Triſtis abit, longâq; fugax de valle locutus.
(Nam timor expulſum jurgia ferre vetat)
Non te demiſſis ſetoſum, putide, barbis,
Illum, qui ſupereſt conſequiturq; tremo.

Plura ad manum ſunt, verùm hic eſto



FINIS.

L'AUTOMATE DE LONGITUDE.

Nouveau Systéme d'Hydrométrie; par les Périodes d'un Mouvement Nautique, qui marque à un Cadran, les Lieuës qu'un Navire fait dans sa Route.

Présenté à nos Seigneurs les Commissaires de la GRANDE BRETAGNE pour l'Examen des Découvertes sur la Longitude.

Par ALLAIN PITOT.

A LONDRES:

Imprimé, aux depens de l'Auteur & se vend chez Paul Vaillant dans le Strand. MDCCXVI.